DE FABULARUM GRAECARUM ARGUMENTIS METRICIS

Dissertatio inauguralis

quam

ad summos in philosophia honores ab amplissimo philosophorum ordine universitatis Ludovicianae Gissensis rite capessendos

scripsit

GUILELMUS MICHEL
Babenhausensis

Gissae MCMVIII
Typis officinae aulicae et academicae de Muenchow

DE FABULARUM GRAECARUM ARGUMENTIS METRICIS

Dissertatio inauguralis

quam

ad summos in philosophia honores ab amplissimo philosophorum ordine universitatis Ludovicianae Gissensis rite capessendos

scripsit

GUILELMUS MICHEL
Babenhausensis

Gissae MCMVIII
Typis officinae aulicae et academicae de Muenchow

Ad philosophorum Gissensium ordinem de hac dissertatione rettulit
Alfredus Koerte
21. VII. 1908.

Matri sacrum.

Argumenta metrica quae exstant ad fabulas nonnullas Graecas, in primis ad comoedias Aristophaneas, viris doctis non ita multis curae fuerunt. Qui autem attigerunt, fere omnes id consentiunt illa temporibus Byzantinis posterioribus attribuenda esse. Quorum ex numero affero Nauckium, qui in fragmentis Aristophanis Byzantii grammatici collatis p. 250 sqq., Schneidewinum qui in commentario de hypothesibus tragoediarum Graecarum composito [1]), Groebelium qui in libello „Die ältesten Hypotheseis zu Aristophanes" [2]) p. 12 sq. de his rebus egit. Qui omnes haec argumenta Byzantinam fabricam redolere et aevi infimi esse putant. Oblocuti sunt et Wilamowitz (Eur. Her. I, 145) et Leo (Plaut. Forsch. 20), qui argumenta temporibus imperatorum tribuunt; Wilamowitz saeculum secundum p. Chr. n. nominat. At nuper Wagner in commentario suo „Die metrischen Hypotheseis zu Aristophanes" [3]) argumenta metrica fabularum Aristophanearum, quae fere omnia nomine Aristophanis grammatici inscribuntur, a crimine νοθείας liberare voluit. Sed operae pretium esse videtur illorum argumentorum de indole aetate origine denuo disputare, cum ea quibusdam prologis nuper in Aegypto repertis nova luce illustrari putem. Neque ad rem non pertinere mihi videtur textum argumentorum valde depravatum quantum potero recensere atque constituere.

---

[1]) Abhandlungen der historisch-philologischen Klasse der königlichen Gesellschaft der Wissenschaften zu Göttingen VI. Bd. 1853—55 p. 1 sqq.

[2]) Programm der königl. Studienanstalten zu Dillingen 1889/90.

[3]) Wissenschaftliche Beilage zum Jahresbericht des Askanischen Gymnasiums, Berlin, 1908.

I. De aetate et indole.

Argumenta metrica exstant ad decem fabulas Aristophaneas, ad Oedipoda Regem atque Philoctetam Sophoclis, ad Menandri nuper repertam fabulam, quae inscripta est Ἥρως.

Ac primum quidem de fabularum Aristophanearum argumentis agam, quorum textus in codicibus R et V phototypice editis inspexi. Fabulae Aristophaneae, quae nobis sunt traditae, habent omnes exceptis Thesmophoriazusis argumenta metrica, quorum textus multis locis valde corruptus est imprimis Nubium Pacis Pluti. Omnibus autem argumentis denis versibus exiliter ea narrantur, quae comoediis singulis continentur; cum vero omnia et versuum numero et stilo congruant, uni auctori esse attribuenda concludendum esse existimo. Primum autem ea, quae ad recensionem spectant, dicentur. Notandum est id, quod permultos viros doctos effugisse videtur, omnia argumenta in codicibus non in versus disposita esse, sed in modum orationis prosae scripta. Atque cum inter scholia numerarentur, mirum non est, ut eorum textus graviter corruptus sit. Argumenta Acharnensium Lysistratae solo in codice R, argumenta Equitum Nubium Pacis Pluti solo in codice V, argumenta Vesparum Avium Ranarumque in utroque codice exstant; argumentum autem Ecclesiazusarum solo in codice Laurentiano Γ saeculi quarti decimi scriptum videmus.

Ordiar ab argumento Acharnensium. Neque non supervacaneum esse puto singulis in argumentis tractandis eorum textum repetere.

Ἐκκλησίας οὔσης παραγίνονταί τινες,
πρέσβεις παρὰ Περσῶν καὶ παρὰ Σιτάλκους ⟨πάλιν⟩,

οἱ μὲν στρατιὰν ἄγοντες, οἱ δὲ χρυσίον,
παρὰ τῶν Λακεδαιμονίων δὲ μετὰ τούτους τινὲς
σπονδὰς φέροντες, οὓς Ἀχαρνεῖς οὐδαμῶς
εἴασαν ἀλλ' ἔβαλλον, ὧν καθάπτεται
σκληρῶς ὁ ποιητής. ⟨αὐτὸ τὸ ψήφισμά τε
Μεγαρικὸν ἱκανῶς φησι καὶ τὸν Περικλέα,
κοὐ τὸν Λάκωνα, τῶνδε πάντων αἴτιον,
σπονδάς τε λύσειν τῶν ἐφεστώτων κακῶν⟩.

2) In exitu recte a viris doctis additum est πάλιν, quod deest in codicibus.

6) ἐξεβαλλ\ R; vulgo legitur ἐξέβαλον, at Wagner rectissime proponere mihi videtur ἔβαλλον. Nam Acharnenses tantum conabantur Dicaeopolin lapidibus obrutum expellere. Praepositio autem ἐξ propter metrum delenda est.

7—10) Versus, quos cancellis saepsi, desunt in codice R, additi sunt primum in editione Aldina. Quam ob rem suspicetur quispiam hos versus demum medio aevo post undecimum saeculum, quo scriptus est codex R, huic argumento ab aliquo insertos esse, ut numerus decem versuum expleatur. Sed hanc quaestionem difficiliorem praetermitto. Illud plus mea interest illos versus, quibus de intellegendis Nauck desperavit, explanare. Mea quidem sententia facile sanari possunt.

7) Post verbum ποιητής cum van Leeuwenio distinguo.

8) Μεγαρικὸν ὡς ἱκανῶς sic Aldina; sed ὡς propter metrum inducendum est.

9) οὐκ τῶν Λακώνων Ald., κοὐ τὸν Λάκωνα Nauck, quamquam verba tradita intelligi non posse viro docto vix concedam. Nam prima in parte usque ad verbum φησί id, de quo aliquid declaratur, addendum est e verbis antecedentibus ὁ ποιητής, secunda autem in parte loquens inducitur ab auctore οὐκ τῶν Λακώνων, id est ὁ ἐκ τῶν Λακώνων „der von den Lakedämoniern; derjenige, welcher auf Seiten der Lakonier steht.“ Similiter apud Aristophanem invenitur

in Avium v. 13 οὐκ τῶν ὀρνέων, in Nubium v. 1065 οὐκ τῶν λύχνων. Verbis autem οὐκ τῶν Λακώνων Dicaeopolin, qui suam pacem pepigit cum Lacedaemoniis significari apertum esse mihi videtur. Sed tamen concedo genus dicendi hoc loco satis obscurum esse. Itaque cum Nauckio κοῦ τὸν Λάκωνα scribere malim, collatis versibus 285 sqq. ipsius fabulae.

10) σπονδὰς λύσιν τε Ald., σπονδάς τε λύσειν Bergk, cui assentior, quod ultimus versus, si scribimus σπονδὰς λύσιν τε, intellegi non potest.

Liceat me hos ultimos versus vernacula lingua vertere: „Der Megarische Beschluss an und für sich sei hinreichend (ἱκανῶς sc. ἔχειν), sagt er (sc. der Dichter durch Dicaeopolis), und Perikles, und nicht der Lakoner, sei an allem schuld, und Verträge würden von den gegenwärtigen Übeln befreien."

Accedamus nunc ad argumentum Equitum.

Παράγει τινὰ Κλέωνα τὸν καλούμενον
Παφλαγόνα, κἄτι βυρσοπώλην πικρότατα
κατεσθίοντά πως τὰ κοινὰ χρήματα,
καὶ παραλογισμῷ διαφοροῦντ' ἐρρωμένως
ἀλλαντοπώλην καὶ σκατοφάγον, εὐθέως
πεισθέντα ⟨τ'⟩ ἐπιθέσθαι σὺν ἱππεῦσίν τισιν
ἐν τῷ χορῷ παροῦσι τῇ τῶν πραγμάτων
ἀρχῇ, Κλέωνός τ' ἐν μέσῳ κατηγορεῖν.
ἐγένετο τοῦτ'· ἐξέπεσεν ὁ Κλέων παγκάκως,
ὁ δὲ σκατοφάγος ἔτυχε προεδρίας καλῆς.

Quo in argumento verbum satis notabile σκατοφάγος bis legitur. σκατοφάγος significat v. l. „Der Kotfresser" [1]). Sed fragmenta Menandrea nuper reperta illius verbi sensum

[1]) Quo sensu dictum est in Aristophanis Pluto v. 706 et in Epicharmi fragmento comoediae, quae inscripta erat Ἥβας γάμος, quod nobis servavit Athenaeus VII, 321 d, ubi scripta videmus:

ἀόνες φάγροι τε λάβρακές τε καὶ ταὶ πίονες
σκατοφάγοι σάλπαι βδελυχραί, ἁδέαι δ' ἐν τῷ θέρει.

posterioribus tomporibus valde esse hebetatum demonstrant. Wilamowitz enim nuper docuit hanc vocem [1]) in fragmentis Menandreis non tam ἀκάθαρτον significare, quam impurum hominem, qui non dubitat caenum ipsum vorare, ut id quod vult assequatur. σκατοφάγος sensu hebetato apparet in Menandri fragmento 825 (Kock), quod nobis tradidit Photius [2]) et in fabula Menandrea, quae inscribitur Samia v. 205, ubi legimus:

τραχὺς ἄνθρωπος σκατοφάγος αὐθέκαστος τῷ τρόπῳ

et in Circumtonsae v. 475.

4) Teneam διαφοροῦντ', quod verbum fides optimi codicis V tuetur; παραλογισμῷ διαφοροῦντ' verbis significatur v. l.: „Der durch Betrug den andern zerreisst, zerfleischt." Verbum διαφορεῖν Aristophani quoque in usu fuit, cf. v. 338 Avium.

5) ἀλλαντοπώλην εὐθέως σκατοφάγον codd. Wagner scribit positione verborum mutata ἀλλαντοπώλην καὶ σκατοφάγον, εὐθέως post σκατοφάγον interpungens; recte, ni fallor.

10) Non esse puto, cur Wagner hunc versum mutaverit sic:

ἀλλαντοπώλης δ' ἔτυχε νῦν τῆς προεδρίας.

Nam versus continentes tres tribrachos offensioni esse non possunt, quod etiam apud Aristophanem tres tribrachi uno in versu coniuncti nobis occurrunt; cf. Acharn. v. 1022, 1054, Vesp. v. 185.

Adde argumentum Nubium, quod ut argumentum Lysistratae in codicibus titulo 'Αριστοφάνους γραμματικοῦ caret.

Πατὴρ τὸν υἱὸν σωκρατίζειν βούλεται·
καὶ τῆς περὶ αὐτὸν ψυχρολογίας διατριβὴ
ἱκανή, λόγων τ' ἀπόνοια πρὸς τοὐναντίον,
χορὸν δὲ Νεφελῶν ὡς ἐπωφελῆ λέγων,

[1]) Annal. nov. stud. ant. Ilbergii vol. XXI et XXII (1908) p. 38.
[2]) Vide lexici Photii glossam s. v. σκατοφάγος· ἀκάθαρτος οὕτως Μένανδρος· Ἀλλὰ σκατοφάγος ἐστὶ καὶ λίαν πικρός.

καὶ τὴν ἀσέβειαν Σωκράτους διεξιών.
ἄλλαι θ' ὑπὲρ τἀνδρὸς κατηγορίαι πικραί,
καὶ τῶν μαθητῶν εἷς πατραλοίας ἐκτόπως.
εἶτ' ἐμπυρισμὸς τῆς σχολῆς τοῦ Σωκράτους.
τὸ δὲ δρᾶμα ⟨τοῦτο⟩ τῆς ὅλης ποιήσεως
κάλλιστον εἶναί φησι καὶ τεχνικώτατον.

3) Diserte legitur in codice V τε post λόγων; neque intellego cur editores excepto van Leeuwenio illud τε exstinxerint; sed per se intellegitur litteram ε esse elidendam.

4) In codice V sic traditur:

χορὸν δὲ Νεφελῶν ὡς ἐπιλέγων

sane sine sensu. Qui versus a plerisque bene correctus est in ὡς ἐπωφελῆ λέγων. Coniectura autem a Wagnero allata ὡς ὁσιώτατ' ἐπιλέγων non placet.

6) Bergk interpungit post ἀνδρός. At si non distinguimus, verba ἄλλαι κ. τ. λ. bene cohaerent cum sequentibus verbis κατηγορίαι πικραί. Sed versui sic ut traditus est mendum metri inest. Codex V enim praebet ὑπὲρ ἀνδρὸς metro deleto. Ut autem metrum sanaretur, Dindorf scripsit ὑπ' ἀνέρος ratus ὑπὲρ ἀνδρὸς fortasse ortum esse ex ὑπ' ^{ερ}ἀνδρός. Sed mihi valde dubium esse videtur, num illa forma trisyllaba verbi ἀνήρ, quae tantum in carminibus epicis et in eis locis quibus formae epicae exprimuntur, invenitur, in hos versus admitti possit. Equidem cum Wagnero malim scribere ὑπὲρ τἀνδρός, quamquam concedo κατηγορίαι ὑπέρ audacius dictum esse, quod κατηγορίαι cum praepositione κατά c. Gen. aut c. Gen. solo coniungitur. Duae constructiones hoc loco inter se mixtae esse mihi videntur; auctori haec fere verba in animo fuisse puto: Nonnulla etiam alia de hoc viro dicuntur. Sin autem ὑπὸ scribimus cum Dindorfio, hic versus antecedentes non bene sequitur.

Duos autem ultimos versus, quos Meineke ex alio argumento in exitum huius argumenti transtulisse dicitur

(cf. Wagnerum p. 4), iam in codice V in fine huius argumenti scriptos videmus. Quos versus in editione van Leeuweniana in exitu quarti argumenti oratione prosa scripti legimus, nescio quo iure. Nam offendere non potest his versibus de elegantia atque arte fabulae iudicari, quod iudicium in ceteris argumentis metricis frustra quaerimus. Illud enim iudicium ipsi fabulae a poeta insertum est (cf. v. 518 sqq.) ob eamque rem ad ea pertinet, quibus fabula continetur. Praeterea cum illa verba facile in versus dirimi possunt priori versui verbo τοῦτο addito, non est cur auferantur. Quis autem credat hoc unum argumentum ceteris duobus versibus brevius fuisse?

Superest, ut pauca de verbo σωκρατίζειν — id est Socratem imitari — dicam. Derivatum est a voce σωκρατεῖν, quae invenitur in Avium Aristophanis v. 1282. Postea illud verbum σωκρατίζειν Alciphroni epistolographo usui fuit, ut in epistulae secundae § 2 scripta videmus: καὶ σωκρατίζειν καὶ στωμυλεύεσθαι θέλει καὶ εἰρωνεύεσθαι.

Nunc quaestio oritur de argumento Vesparum.

Φιλοῦντα δικάζειν πατέρα παῖς εἴρξας ἄφνω
αὐτός τ' ἐφύλαττεν ἔνδον οἰκέται θ', ὅπως
μὴ λανθάνῃ μηδ' ἐξίῃ διὰ τὴν νόσον.
ὁ δ' ἀντιμάχεται παντὶ τρόπῳ καὶ μηχανῇ.
εἶθ' οἱ συνήθεις καὶ γέροντες, λεγόμενοι
σφῆκες, παραγίνονται βοηθοῦντες σφόδρα
ἐπὶ τῷ δύνασθαι κέντρον ἐνιέναι τισὶν
φρονοῦντες ἱκανόν. ὁ δὲ γέρων τηρούμενος
συμπείθετ' ἔνδον διαδικάζειν καὶ βιοῦν,
ἐπεὶ τὸ δικάζειν κέκρικεν ἐκ παντὸς τρόπου.

Quod argumentum bene servatum et fortasse optime fictum exstat in codicibus R et V. Quam ob rem facile textus restituendus est ex illis duobus fontibus.

2) Ea, quae traduntur in V: αὐτός τ' ἐφύλαττεν ἔνδον οἰ-

κοῦντα θ' ὅπως, quibus verbis metrum perturbatur, ex R corriguntur sic:

αὐτός τ' ἐφύλαττεν ἔνδον οἰκέται θ', ὅπως.

Versus autem 5—7 in codice R inter se locos mutaverunt et versum 6 hoc modo scriptum videmus:

σφῆκες παρόντες ἐκ ταὐτοῦ κακοῦ.

Manifestum est hunc versum esse mutilatum; in codice V versus recte se habet:

σφῆκες, παραγίνονται βοηθοῦντες σφόδρα.

At argumentum Pacis quod sequitur, valde corruptum est.

Τῷ Διὶ φράσαι σπεύδων τὰ κατ' ἀνθρώπους ⟨κακὰ⟩
Τρυγαῖος ⟨ἀναπτέσθαι⟩ θέλων ὡς τοὺς θεούς,
ἐξέτρεφεν ὄρνιθ'. ὡς δ' ἀνέπτη, κατέλαβεν
⟨Ἑρ⟩μῆν μόνον ἄνω· κᾆτ' ἐπιδείκνυσιν φράσας
τὸν Πόλεμον ⟨οἰκισθῆν' ἀπηωρημένον
ἄερος⟩, ἕτοιμόν τ' ὄντα πρὸς κακουχίαν
τὴν πρότερον, Εἰρήνην δὲ κατορωρυγμένην
ἱκέτευσαν οἱ κατ' ἀγροὺς ἀνάπαλιν ⟨ἑλκύειν⟩.
τὸ μὲν ⟨βαδὴν αὐτοῖς⟩ ἐπένευσε· καὶ τότε
ἀνάγουσιν αὐτὴν ἐκ βερέθρου καὶ τἀγαθά.

1) Ultimus pes deest. Nauckii coniecturam, qui bene addidit κακά, accipio.

2) Versus est lacunosus:

Τρυγαῖος θέλων ὡς τοὺς θεούς

sic traditur, quae verba Meineke recte supplevisse mihi videtur hoc modo:

Τρυγαῖος ἀναπτέσθαι θέλων ὡς τοὺς θεούς

quod verbum ἀναπτέσθαι optime ad sensum quadrat.

3) Codice V traditum est ἐξέτρεφον ὄρνιθες, quibus verbis sensus deest; exspectandum est ἐξέτρεφεν κάνθαρον ut Nauckius recte dicit, sed Dindorfii coniecturam facillimam ἐξέτρεφεν ὄρνιθ' cum Nauckio recipio. Nam cur scarabaeus hoc loco cum ave comparetur, manifestum est.

5) Nullus sensus inest huic versui, ut eum in codice V scriptum videmus: τὸν Πόλεμον βρύθηται ἀπηρτημένον ἀέριος, quae inter verba vox βρύθηται omnino nihili est. De sanando versu omnes fere homines docti desperaverunt. Nauck solus medelam proponit:

τὸν Πόλεμον ἐν βυθῷ τ' ἀπῃωρημένον
ἄερος.

Sed verbo βυθός pro usitatiore βένθος significatur omnibus fere locis, quibus nobis occurrit, mare profundum. Quam ob rem illud verbum his versibus indere dubito. Malim illam Nauckii coniecturam paulo mutatam accipere proponens

τὸν Πόλεμον οἰκισθῆν' ἀπῃωρημένον
ἄερος

collatis versibus 204—209 ipsius fabulae, quo loco Mercurius Bellum a deis in aërem deductum esse Trygaeo narrat.

ἀπηρτημένον V; correctum est in ἀπῃωρημένον, quod verbum idem valet, propter metrum.

6) Nominativus ἀέριος servari non potest, quod omni sensu caret hoc loco; at si scribimus ἄερος genitivum pendentem a voce ἀπῃωρημένον, quae fere respondet voci traditae ἀπηρτημένον, etiam mendum metricum versus 6 evanuit. Nam si legimus ἀέριος ἕτοιμον, anapaestus sedis secundae dactylum sedis primae sequitur, quam coniunctionem aliquis in Aristophaneis trimetris frustra quaerat; cf. commentarium Rumpelii de trimetro Aristophanis Philol. vol. XXVIII p. 622. Quibus coniecturis admissis sensum atque metrum recte se habere puto.

8) ποεῖν codd. Versus sic, ut traditus est, propter metrum non servari potest. Sed si scribimus pro ποεῖν: ἑλκύειν,

quod verbum e comoedia ipsa petitum sensui aptissimum est, metrum est sanatum. Nauckii autem coniectura, qui suadet l. c., ut in versibus 8 et 9 corrigendis scribatur:

ἣν ἱκέτευσαν οἱ κατ' ἀγροὺς ἀνάπαλιν
πορεῖν τὸ μέλλον· ἡ δ' ἐπένευσε καὶ τότε

nimis ad libidinem esse ficta mihi videtur. Praeterea litteris γρ vocalis antecedens brevis produci non solet nisi apud poetas epicos. Ergo iam illam ob causam coniectura Nauckii corruit.

9) τὸ μελ βαδ ἐπένευσε· καὶ τότε V. Versus sanari potest hoc fere modo:

τὸ μὲν βάδην αὐτοῖς ἐπένευσε· καὶ τότε

praesertim cum in apographo codicis V (Ven. 475) huius versus servetur τὸ μὲν pro τὸ μελ. Verbum enim βάδην v. l. „Schritt für Schritt", Latino sermone „gradatim vel pedemptim" ab Aristophane, ut exemplum afferam, illa significatione „allmählich" adhibitum est in Acharnensium v. 535:

ἐντεῦθεν οἱ Μεγαρῆς, ὅτε δὴ 'πείνων βάδην

vel in Lysistratae v. 254.

Atque etiam hoc loco βάδην bene sensui fabulae respondere mihi videtur, quod Mercurio paulatim gradatimque a Trygaeo agricolisque persuadetur; cf. v. 362—427 fabulae.

10) ἀπάγουσιν V; ἀνάγουσιν scribo, quod melius sensui respondet.

Nunc nonnulla afferenda sunt de Avium argumento.

Διὰ τὰς δίκας φεύγουσιν Ἀθήνας δύο τινές,
οἳ πρὸς τὸν ἔποπα τὸν λεγόμενον Τηρέα
ἐλθόντες ἠρώτων ἀπραγμόνων πόλιν.
εἷς δ' ὄρνις ἔποπι συμπαρὼν μετὰ πλειόνων
πτηνῶν διδάσκει τί δύνατ' ὀρνίθων γένος,
καὶ πῶς ἐάνπερ κατὰ μέσον τὸν ἀέρα

πόλιν κτίσωσι, τῶν θεῶν τὰ πράγματα
αὐτοὶ παραλήψοντ'. ἐκ δὲ τοῦδε φάρμακον
πτέρυγάς τ' ἐποιοῦντ'· ἠξίωσαν δ' οἱ θεοί,
ἐπίθεσιν οὐ μικρὰν ὁρῶντες γενομένην.

3) ἀπραγμόνων V, Ald., ἀπράγμονα R.

4) Wagner voce ὄρνις metrum perturbari putat, quod ὄρνις in casibus bisyllabis ι longam habeat. Sed falso, nam iam apud tragicos poetas ι semper brevis apparet, postea plerumque brevis est, imprimis apud Epicos, ut apud Apollonium Rhodium Arg. I, v. 304:

μίμνε δόμοις, μὴ δ' ὄρνις ἀεικελίη πέλε νηί.

8) φάρμακον R, φαρμάκου V.

9) ἐποίουν codd., ego coniecturam a Wagnero l. c. allatam ἐποιοῦντ' accipiam, nam forma media desideratur. Sententia igitur hoc fere modo vertenda est: „Daraufhin verschafften sie sich ein Zaubermittel und dadurch Flügel"; cf. vers. 649—655 ipsius fabulae. Nam ut civibus Nephelococcygiae illis Atheniensibus alis opus erat, ut cum avibus civitatem aeris constituere possent.

Deinceps ad argumentum Lysistratae venimus.

Λυσιστράτη καλέσασα τὰς πολίτιδας
ὑπέθετο φεύγειν μηδὲ μίγνυσθ' ἄρρεσιν,
ὅπως, γενομένης νῦν στάσεως ἐμφυλίου,
τὸν πρὸς Λάκωνας πόλεμον αἴρωσιν λόγῳ
μένωσί τ' οἴκοι πάντες. ὡς δὲ συνέθετο,
τινὲς μὲν αὐτῶν τὴν ἀκρόπολιν διεκράτουν,
τινὲς δ' ἀπεχώρουν . αἵ τ' ἀπὸ Σπάρτης πάλιν
ταὐτὸν διεβουλεύοντο. κῆρυξ ἔρχεται
λέγων περὶ τούτων. τῆς δ' ὁμονοίας γενομένης,
σπονδὰς τιθέμενοι τὸν πόλεμον ἐξώρισαν.

10) ἐξέρρησαν R, quod derivatum est a voce ἐξέρρω v. l. „sich hinauspacken, sich fortmachen, zum Henker gehen". Vide hanc glossam Photii lexicographi s. v. ἐρρήσας· φθαρείς·

Ἤρησεν, ἐφθάρη ἦλθεν, ὅθεν καὶ τὸ εἰσήρρησαν (cf. Aristophanis Ranarum v. 1192: ὡς Πόλυβον ἤρρησεν, aut Euripidis Hippolyti v. 973: ἔξερρε γαίας „pack dich hinaus aus dem Lande, geh zum Teufel"). Quibus ex locis hoc verbum semper intransitive usurpari videmus. Quod autem hoc loco verbum transitivum poscimus et ultima syllaba huius trimetri deest, eo demonstratur mendosum esse versum. Itaque Brunck, quem sequar, coniecit ἐξώρισαν v. l. „sie jagten aus dem Lande", et syllabam quae versui deest, supplet verbo τιθέμενοι pro θέμενοι[1]).

Agedum animum advertite ad argumentum Ranarum, cuius titulus in codice R est ἀριστοφάνους ὑ^{π} βατρα^{χ}; in codice V: ἄλλως ὑπόθεσις βατραχ ἀριστοφά. Sed de titulis paulo infra plura dicturus sum.

Μαθὼν παρ' Ἡρακλέους Διόνυσος τὴν ὁδὸν
πρὸς τοὺς κατοιχομένους πορεύεται λαβὼν
τὸ δέρμα καὶ τὸ σκύταλον ἀναγαγεῖν θέλων
Εὐριπίδην· λίμνην τε διέβαινεν κάτω
καὶ τῶν βατράχων ἀνέκραγεν εὔφημος χορός.
ἔπειτα μυστῶν ἐκδοχή. Πλούτων δ' ἰδὼν
ὡς Ἡρακλεῖ προσέκρουσε διὰ τὸν Κέρβερον.
ὡς δ' ἀνεφάνη, τίθεται τραγῳδίας ἀγών,
καὶ δὴ στεφανοῦται γ' Αἰσχύλος· τοῦτον δ' ἄγει
Διόνυσος ἐς φῶς, οὐχὶ μὰ Δι' Εὐριπίδην.

3) Omnes codices praebent ἀνάγειν; hoc errore librarii facile irrepere potuit pro ἀναγαγεῖν, quod poscimus propter metrum et iam Brunck suo iure textui indidit.

6) Notandum est in hoc versu auctorem afferre Plutonem pro Aeaco, cum in fabula Aristophanea non Pluto, sed Aeacus obviam eat Baccho et Pluto solo in exitu fabulae in scaenam prodeat. Sed iam scholiasta adnotat ad

---

[1]) Rutherford scribit ἐξεώρτασαν, quod verbum omnino non extat.

v. 465 Ranarum haec: εἷς τῶν ἐν Ἅιδου λέγει. τίνες δὲ τὸν Αἰακὸν λέγουσιν ἀποκρίνασθαι· ὅπερ ἀπίθανον. Scholiasta igitur iam ignorat, quam personam illo loco dicentem fecerit poeta. In personarum indice codicis R nominatur θεράπων Πλούτωνος. Auctore scholio ad v. 607, ubi scripta videmus: ἔνιοι δέ φασι πάντα αὐτὸν λέγειν τὸν Πλούτωνα ἀγανακτοῦντα ἐπὶ τῷ τύπτεσθαι τοὺς ἀκολούθους ὑπὸ Ξανθίου, fortasse auctor huius argumenti commotus est, ut illum pro Plutone ipso haberet. Wagner autem re vera illa verba ferocia ex ore Plutonis melius quam Aeaci audiri putat; sed hoc negem, quod verba v. 469 ὃν ἐγὼ 'φύλαττον cum illa opinione pugnare mihi videntur. Statuendum est eum, qui loquitur, esse Aeacum; similiter Mercurius a poeta in Pace loquens factus est.

Restant argumenta Ecclesiazusarum ac Pluti, quorum prius in codicibus V et R non extat et imprimis fide codicis Laurentiani Γ nititur.

Ἐν τοῖς Σκίροις τὰ γύναι' ἔκρινεν ἐν στολαῖς
ἀνδρῶν προκαθίζειν γενομένης ἐκκλησίας
περιθέμεναι πώγωνας ἀλλοτρίων τριχῶν.
ἐποίησαν οὕτως. ὑστεροῦντες οὖν στολαῖς
ἄνδρες γυναικῶν ἐκάθισαν· καὶ δὴ μία
δημηγορεῖ περὶ τοῦ λαβούσας τῶν ὅλων
τὴν ἐπιτροπὴν βέλτιον ἄρξειν μυρίῳ.
ἐκέλευσέ τ' εἰς κοινὸν φέρειν τὰ χρήματα
καὶ χρῆσθ' ἅπασιν ἐξ ἴσου ταῖς οὐσίαις
καὶ ταῖς γυναιξὶ μετατίθεσθαι τοὺς νόμους.

2) ἀνέρων Γ; sed scribendum esse ἀνδρῶν credo; nam forma trisyllaba, repugnat metro, quod littera α vocis ἀνέρων est longa; praeterea formae trisyllabae nominis ἀνήρ non nisi in carminibus epicis apparent aut in carminibus epico charactere, ut supra demonstravi; cf. etiam in versu 5 ἄνδρες. Eodem in versu προκαθίζοντα Ald., προκαθέζοντα Γ, quod plane respuendum est, quod forma προκαθέζω non extat, sed

media forma sola προκαθέζομαι; pro illo vero προκαθίζοντα scribam cum Bergkio, cui etiam editores Anglicani assentiuntur, προκαθίζειν, quod infinitivus ad vocem ἔκρινεν mihi esse poscendus videtur. Qua coniectura insuper dactylus pedis tertii προκαθίζοντα γενομένης, qui est minus usitatus, quod poetae iambici ultimam syllabam vocis polysyllabae ictu percutere non solent[1]), tollitur. Verbo autem προκαθίζειν v. l. significatur „sich vorne hinsetzen, vorne sitzen“ sc. ad iudicandum.

3) παραθέμενα Γ, iam dudum in περιθέμεναι correctum est, quod verbum constructione κατὰ σύνεσιν, quae vocatur, facile comprehenditur.

Nunc extremo loco ad argumentum Pluti accedimus.

Μαντεύεται δίκαιος ὤν τις καὶ πένης
εἰ μεταβαλὼν πλούτου τυχεῖν δυνήσεται.
ἔχρησεν ὁ θεὸς συνακολουθεῖν, ᾧπερ ἂν
πρώτῳ περιτύχῃ. Πλοῦτος ὀπτάνεται τυφλός.
γνοὺς δ' αὐτὸν ἤγαγ' οἴκαδ', ἄλλους δημότας
καλέσας μετασχεῖν· εἶθ' ὑγιάσαι τὰς κόρας
ἔσπευδον· εἰς Ἀσκληπιοῦ δ' ἀπήγαγον.
ἡ δ' ⟨ἀναφανεῖσ'⟩ ἄφνω Πενία διεκώλυεν
ὅμως ἀναβλέψαντος αὐτοῦ τῶν κακῶν
οὐδεὶς ἐπλούτει, τῶν δ' ἀγαθῶν ἦν τἀγαθά.

4) ἀνδρὶ περιτύχῃ codd. Mendum metricum inest huic versui. Dindorfium autem, qui scribit ἀνέρι pro ἀνδρί, ob causas supra allatas non sequar. At Wagnerum bene fecisse existimo, quod pro ἀνδρί ponit πρώτῳ ratus voce ἂν ipsa antecedente facili errore ἀνδρί fieri potuisse. Particulam autem δέ post Πλοῦτος, quae est tradita in V, iam Hemsterhuys propter metrum delevit.

8) Huic versui lacunoso Dindorf ἀναφανεῖσ' indidit, quam medelam optimam comprobo. Eiusdem versus in exitu tradunt libri διεκώλυσεν, quod bene in διεκώλυεν correctum

[1]) cf. Christii librum de arte metrica § 74 adn. 4.

est, cum υ verbi κωλύω longum est exceptis formis praesentis et imperfecti temporis; cf. Aristophanis Equitum v. 723:

ἴωμεν ἐς τὸν δῆμον. — οὐδὲν κωλύει

et Pindari carminis Pythici IV v. 33, ubi in antistropha β legimus: κώλυεν μεῖναι, quo loco υ breve esse demonstratur collatis locis stropharum antistropharumque, qui illi loco respondent; cf. etiam Menandri Disceptantes v. 10.

Reliquum est, ut pauca dicam de verbo ὀπτάνεσθαι (v. 4), quod derivatum est a voce ὄψεσθαι. Quo verbo Nauck imprimis commotus est, ut haec argumenta infimae aetati tribueret. Quod tamen falsum est. Nam verbum ὀπτάνεσθαι iam ab illis septuaginta usurpatur, qui fere saeculo secundo a. Chr. n. libros sanctos in Graecum sermonem verterunt, ut in primo libro regum c. 8 v. 8: οὐκ ὠπτάνοντο ἔξω. Etiam in papyris Ptolemaicorum temporum illud verbum inveniri probat Mayser in libro suo „Grammatik der griechischen Papyri aus der Ptolemäerzeit“ p. 404, ut in papyro quadam, quam edidit Brunet de Presle[1]), fere anno 160 a. Chr. n. scripta[2]), et in papyro Tebtunensi vol. I, 24, 5, quae est exeuntis saeculi secundi a. Chr. n.[3]). Ergo usu verbi ὀπτάνεται moveri non possumus, ut hoc argumentum a temporibus Ptolemaicis abiudicemus.

Sed nunc haec missa facio, quoniam de textu argumentorum recensendo satis multa verba fecisse videor. Proximum est et gravissimum, ut quaeramus, quas leges in trimetris componendis auctor secutus sit et num ex his eluceat, quibus temporibus argumenta orta sint. Ut iam supra dixi, argumenta in codicibus non in versus dirempta sunt, sed ut prosa oratio scripta. Sed facile in trimetros

---

[1]) Notices et extraits des manuscrits de la bibliothèque impériale XVIII (2), 49, 33.

[2]) εἰ δὲ δι’ ἄλλο τι οὐκ ὀπτά(ν)εταί μοι, γίνωσκε σαφῶς . . .

[3]) καὶ μηδαμῶς ὀπτανομένων.

iambicos dividi possunt. Quod metrum altius perscrutari volumus, cum ad hoc commentariolum permagni sit. Quamquam autem metrum iambicum e duobus iambis esse compositum (⏑ – ⏑ –) intellego, tamen in hoc opusculo trimetrum iambicum in sex pedes dividam, ut facilius atque simplicius de his rebus agere possim. Nunc pauca praefari volo de trimetro iambico universo, de quo Wilamowitz[1]) disserit haec: „Der jambische Trimeter, das μάλιστα λεκτικὸν μέτρον, ist ein wunderbares Instrument und doch immer gebundene Rede, befähigt von dem ἰσχνόν und εὐτελές der Konversation und ihrer λαλία bis zum rhetorischen δεινόν und zum tragischen σεμνόν zu steigen.“ Ac primum quidem iambographi in suis carminibus anapaesto plane abstinent, solutionesque rarissime admittunt. Inter autem poetas tragicos Aeschylus solutiones non multas adhibet, raro duas uno in versu; Sophocles est maiore licentia, Euripidis in trimetro crebro solutiones inveniuntur; anapaestos autem tragici poetae admittunt in nomina propria, sed alias in voces tantum primam in sedem[2]). Sed comici poetae quoniam communem vulgi sermonem imitantur, in numeris variandis sunt multo liberiores ceteris. Eandem licentiam in metris iambicis secuti sunt postea poetae didactici, ut Apollodorus, Pseudo-Scymnus, Dionysius, Damocrates, auctor Sphaerae, qui Empedocles esse dicitur[3]). Illi autem poetae didactici usurpaverunt trimetrum comicum, quod ille anapaestis tribrachis dactylisque admissis ad nomina numerosque textui inserenda aptissimus erat. Posteriores poetae didactici ut Damocrates et auctor Sphaerae rursus ad trimetros fere tragicos reverterunt.

---

[1]) annal. nov. stud. ant. Ilbergii vol. XXI et XXII (1908) p. 35 sqq.

[2]) Gleditsch, Metrik der Griechen und Römer, p. 141.

[3]) De iambico metro poetarum didacticorum Jacoby in libro suo, qui inscribitur „Apollodors Chronik“, p. 60 sqq. (Philologische Untersuchungen von Kiessling — v. Wilamowitz-Moellendorf, 16. Heft, Berlin 1902), accurate egit.

Videamus nunc, quem locum haec argumenta metrica usurpent. Atque primum de anapaestis agam [1]). Omnibus in pedibus — ultimus pes semper purus iambus est, ut apud omnes poetas Graecos, ob eamque rem non recensetur — anapaestum pro iambo investigamus; undecies prima in sede (Ach. 4; Equ. 1; Nub. 3, 9; Vesp. 7; Pac. 10; Av. 1, 9; Eccl. 4, 8; Plut. 6); sexies decies altera in sede (Ach. 2, 3, 4, 7; Nub, 2, 5; Vesp. 1, 2, 6, 10; Av. 8; Lys. 7, 8, 9; Ran. 5, 9); octies tertia in sede (Ach. 4; Nub. 3; Ran. 1, 2, 7, 8; Eccl. 1, 6); duodecies quarta in sede (Ach. 1, 2; Nub. 7; Vesp. 4; Pac. 1, 4, 10; Av. 1; Lys. 3, 9; Plut. 8, 10); septies quinta in sede (Nub. 6, 10; Vesp. 3; Av. 4; Eccl. 3; Plut. 4, 8). Plerique autem anapaesti una e voce componuntur, inter enim 54 anapaestos 35 (cf. anapaestos: Ach. 1, 3, 4, 4; Equ. 1; Nub. 3, 3, 5, 6, 7, 10; Vesp. 2, 6; Pac. 4, 10, 10; Av. 8, 9; Lys. 3, 7, 8, 9; Ran. 1, 2, 5, 7, 8, 9; Eccl. 3, 4, 8; Plut. 6, 8, 8, 10). Accedunt anapaesti compositi e duabus vocibus, quae artissime cohaerent, ut praepositio cum sequenti verbo (Ach. 2, 2, 4; Nub. 2; Vesp. 3, 7; Av. 1, 4; Lys. 9; Eccl. 6) aut articulus cum substantivo (Ach. 7; Vesp. 10; Eccl. 1); tales anapaestos omnes comici admittunt (Christ l. c. p. 326 sqq.). Sed in argumento Nubium v. 9 anapaestus primi pedis e tribus vocibus compositus est (τὸ δὲ δρᾶ|μα), quarum duae sunt monosyllabae (articulus ac particula), quam ob rem excusari potest; similem anapaestum invenimus in argumento Pacis v. 1 quarta in sede (τὰ κατ' ἀν|θρώπους). In argumentis autem Vesparum v. 1, 4, Avium v. 1 anapaesti nobis occurrunt, in quos apud alios poetas raro incidimus; illi enim anapaesti sunt compositi e duabus vocibus, quarum altera clauditur post primam syllabam brevem. Sed tales anapaesti etiam in

---

[1]) Omnes pedes, qui coniecturis orti sunt, non computantur; versus autem 5, 6, 9 argumenti Pacis in metro disquirendo praetereo, quod textus nimis est corruptus.

fabulis Aristophaneis et in carminibus didacticis apparent, ut in Acharnensium Aristophanis v. 6:

τοῖς πέν|τε ταλάν|τοις οἷς Κλέων ἐξήμεσεν

vel in fragmento 8 Damocratis carminis de malagmatis v. 43 [1]):

μέλιτος |δὲ λίτρας| δύ' Ἀττικοῦ τοῦ προσφάτου.

Anapaestos igitur eodem modo quo apud poetas comicos et didacticos, fortasse paulo licentius, in his argumentis esse adhibitos intellegimus.

Iam perlustremus solutiones, quae diversi generis esse possunt, tribrachum et dactylum, qui tamen ictum habet priore in syllaba brevi. Cum autem tantum imparibus in sedibus brevis syllaba produci possit, etiam in illis pedibus solis dactylus pro iambo poni potest. Quam legem his in argumentis esse servatam cognoscemus. Invenimus enim novem dactylos prima in sede (Equ. 2, 4; Pac. 1, 3, 6, 7; Ran. 8; Eccl. 7; Plut. 2); duodecim tertia in sede (Equ. 4, 9; Vesp. 1, 9, 10; Av. 5, 6; Lys. 4; Ran. 3; Eccl. 5; Plut. 3); novem quinta in sede (Ach. 8; Equ. 2; Nub. 2; Vesp. 5; Pac. 3; Av. 1, 10; Lys. 6, 9). Dactylus autem continetur aut uno vocabulo (cf. Equ. 2, 9; Pac. 3, 6) aut duobus, in quibus exitus vocis prioris post syllabam longam est (ut Equ. 2, 4, 4; Nub. 2; Vesp. 1, 5, 9, 10; Pac. 3; Av. 1, 6, 10; Lys. 4, 6, 9; Ran. 8; Eccl. 5; Plut. 2, 3). Iis autem in sedibus, quas nunc enumero, altera vocum articulus est, qui arte astricta est ad vocem sequentem, ob eamque rem talis dactylus facile excusatur (Ach. 8; Pac. 1, 7; Ran. 3; Eccl. 7). Unus dactylus (Av. 5) est compositus e tribus vocibus, quarum secunda est pronomen interrogativum monosyllabum (διδάσ|κει τί δύ|νατ'). Quod autem dactylus in his argumentis etiam quinta in sede invenitur, eo demonstratur auctorem trimetrum comicum didacticum-

---

[1]) cf. Studemundi editionem in indice lectionum in universitate litterarum Vratislaviensi habendarum (1888/89) p. 25 sqq.

que imitari voluisse; nam apud poetas tragicos dactylus quinta in sede plane respuitur.

Item auctor horum argumentorum cum poetis comicis didacticisque in tribrachis adhibendis congruit. Prima enim in sede sexies tribrachus investigatur (Ach. 8; Equ. 9; Av. 10; Lys. 2; Ran. 10; Eccl. 3); undecies secunda in sede (Ach. 8; Equ. 6, 10; Nub. 4; Vesp. 4, 8; Pac. 4, Av. 2, 4; Lys. 3; Plut. 3); quinquies tertia in sede (Equ. 10; Vesp. 8; Lys. 1; Ran. 5; Eccl. 10); quater decies quarta in sede (Ach. 4; Equ. 10; Nub. 2; Vesp. 7; Pac. 7; Av. 2; Lys. 6; Ran. 1, 3, 4, 7, 10; Plut. 6); semel quinta in sede (Lys. 5). Quartam autem in sedem imprimis etiam apud Aristophanem tribrachus admittitur; cf. illum commentarium Rumpelii quem supra commemoravi p. 599 sqq. quo vir doctus in trimetris comoediarum Aristophanearum tribrachum quarta in sede maxime inveniri demonstravit, ut numeros Rumpelii afferam inter 2625 tribachos 1102; sequitur deinde secundus pes apud Aristophanem, ut his quoque in argumentis. Tribrachus autem exsistit vel una e voce (Ach. 8; Equ. 9, 10; Nub. 2; Vesp. 4; Av. 2, 10; Lys. 1, 2, 3, 6; Ran. 1, 5, 10; Eccl. 3) vel duabus e vocibus, quarum una constat ex iis duabus syllabis, quae solutae sunt, ut in his argumentis (Ach. 4, 8; Equ. 6, 10; Nub. 4; Vesp. 7, 8; Pac. 7; Av. 2, 4; Lys. 5; Ran. 3, 4, 7; Eccl. 10). Minus usitatus est is tribrachus, cuius secundam syllabam in exitu vocis plurium syllabarum scriptam videmus, ut in argumenti Pacis v. 4: μόνον ἄ|νω; sed talis tribrachus iam in comoediis Aristophaneis interdum investigatur, cf. Nubium v. 29:

ἐμὲ μὲν σὺ πολλοὺς τὸν |πατέρ' ἐ λαύνεις δρόμους.

Tribus autem locis (Vesp. 8: ἱκαν όν ὁ δὲ|; Ran. 10: οὐ|χὶ μὰ Δί'|; Plut. 3: ἔχρη|σεν ὁ θε ός) tribrachi inter tres voces divisi extant, qui offensioni esse non possunt, quod syllabam secundam vox monosyllaba, articulus aut particula asse-

verationis, tenet. Ergo ne tribrachi quidem usu hic trimeter multum differt a trimetris comicis didacticisque.

Sed postquam de diversis metris disserui, nunc de numero solutionum et anapaestorum singulis in versibus adhibitorum disputabo. Ne in his quidem gravis differentia inter hunc trimetrum atque trimetrum comicum aut didacticum invenitur. Unus enim versus investigatur, in quo quattuor iamborum integritas est laesa, v. 4 arg. Ach. Sed apud Aristophanem quoque in tales versus incidimus, ut in Nubium v. 173 tres anapaesti sunt coniuncti cum dactylo; audi versum:

ἀπὸ τῆς ὀροφῆς νύκτωρ γαλεώτης κατέχεσεν

vel in Pacis v. 1221, quo versu tres tribrachi et dactylus continentur:

ἀπόφερ' ἀπόφερ' ἐς κόρακας ἀπὸ τῆς οἰκίας.

Crebri autem sunt argumentorum ii versus, in quibus tantum unus aut duo iambi formam propriam amiserunt. Quinta in sede, cuius integritatem Aristophanes conservare tragicorum poetarum exemplo studet[1]), auctorem horum argumentorum liberiorem esse concedendum est, qui in pede quinto septies decies pedem trisyllabum adhibet. Sed hac re comparari potest hic auctor cum poetis didacticis inter quos Scymnus 13,5, Dionysius 28,8 iambos impuros in sede quinta habet in centenis versibus. De ratione autem metrorum singulis in versibus coniunctorum vide hanc tabellam[2]):

Primum solutiones eiusdem generis:

Bini tribrachi; Vesp. 8; Av. 2; (Lys. 10); Ran. 10.
„ dactyli: Equ. 2, 4; Pac. 3.
„ anapaesti: Ach. 2; Nub. 3; Pac. 10.
Terni tribrachi: Equ. 10 (cf. Achar. 1022, 1054; Vesp. 185).

---

[1]) Solutiones pedis quinti sunt apud Aristophanem inter centum versus 5,5; cf. Jacoby, l. c. p. 65.

[2]) Quos locos argumentorum uncis inclusi, coniecturis restituti sunt.

Deinde solutiones diversi generis:

Anapaestus et tribrachus: Vesp. 4, 7; Pac. 4; Av. 4; Lys. 3; Ran. 1, 5, 7; Eccl. 3; Plut. (4), 6.

Anapaestus et dactylus: Vesp. 1, 10; Pac. 1; Ran. 8; (Eccl. 2).

Dactylus et tribrachus: Equ. 9; Pac. 7; Av. 10; Lys. 6; Ran. 3; Plut. 3.

Bini anapaesti et dactylus: Av. 1; Lys. 9; (Plut. 8).

„ anapaesti et tribrachus: (Pac. 8).

Dactylus et duo tribrachi: Ach. 8.

Anapaestus tribrachus dactylusque: Nub. 2.

Tres anapaesti et tribrachus: Ach. 4.

Si conferas hanc tabellam cum illis rationibus, quas Rumpelius l. c. p. 617 sqq. retulit, omnes illas coniunctiones etiam in trimetro Aristophanis inveniri excepta coniunctione metrorum versus 4 Acharnensium mihi concedas.

Quibus omnibus ex rebus in his argumentis fingendis nullo modo extra licentiam illam metricam, quam poetae quoque comici atque didactici in operibus suis interdum concedunt, auctorem egredi videmus. Illi quoque versus, in quibus nullus pes trisyllabus apparet, in his argumentis eadem ratione reperiuntur, qua apud Aristophanem atque poetas didacticos[1]); inter enim centum versus argumentorum sedecim[2]) sine solutionibus aut anapaestis extant, inter quos duo versus[3]) tantum iambis puris continentur.

Sed ut hanc disputationem metricam non longius producam, pauca de caesuris in his versibus usurpatis dicam. Ac primum quidem apud iambographos, ut apud Lycophronem aliosque, omnes versus caesura incisi sunt. Deinde in tragicis versibus rarissime caesura deest; tum comici

---

[1]) cf. Jacoby l. c. p. 66.

[2]) Ach. 5, 9, 10; Equ. 3, 7, 8; Nub. 1, 8; Av. 3, 7; Ran. 6; Eccl. 9; Plut. 1, 5, 7, 9.

[3]) Equ. 3; Av. 7.

trimetri saepius omni caesura carent, ut apud Aristophanem 10, 8 versus inter 100[1]), contra apud Aeschylum tantum 2, 6 versus inter 100 aut apud Sophoclem 1, 8 versus e centenis versibus. Ut autem comici, ita didactici poetae caesuram adhibent. Quo magis iambi soluti in quo carmine inveniuntur, eo plures versus caesura carentes poetae admittunt. Caesura autem longe usitatissima est semiquinaria. In versibus caesura carentibus saepe aut diaeresis medio in versu aut et post primum metrum iambicum et post secundum invenitur, quam poetae tragici non admittunt. His quoque in versibus — v. 2, 5, 8, 9 arg. Pacis non recensentur ut nimis corrupti — caesura semiquinaria est creberrima; inter enim 100 versus illa caesura apparet quinquagies septies; sequuntur deinde versus caesura carentes unus et viginti, quibus omnibus diaeresis aut medio in versu aut et post primum et post secundum metrum inest; tum undeviginti versus qui caesura semiseptenaria incisi sunt.

Quid igitur? Tota in disputatione metrica num in ullam rem incidimus, quae pugnet cum illo trimetro Aristophanis aut poetarum didacticorum? Quam ob rem illud Iacobii, quod legimus in eius commentario p. 72 et 73: „Die jambischen Argumente zu Aristophanes gehören, auch ihrem metrischen Charakter nach, nicht in diesen Zusammenhang", esse repellendum puto. Sed ut haec disquisitio de trimetro iambico argumentorum omni ratione stet, paucis verbis etiam artem metricam poetarum iambicorum, qui posterioribus temporibus fuerunt, attingemus. Imprimis Babrii choliambographi ars metrica mihi breviter est discurrenda, quod poetae iambici posteriores in universum artem eius metricam secuti sunt, si versum politicum, qui vocatur, omittimus. Qua de arte fusius egit Crusius in commentario suo de Babrii aetate inscripto[2]) p. 127 sqq. Metri autem Babriani proprietas maxime notabilis est paenultima

[1]) cf. Jacoby, l. c. p. 66.

[2]) Leipziger Studien II (1879).

accentu verborum quem dicunt elata. Item Georgius Pisides [1]), qui saeculo septimo floruit, verba, quorum ultima syllaba accentu verborum percutitur, in fine versus ponere vitavit; tantum proparoxytona vel paroxytona extremum in versum admisit; quae lex post eius tempora etiam exemplo Babrianae artis metricae ita intenta est, ut paroxytona sola in versuum exitum admitterentur. Frustra in his argumentis illam legem quaerat quispiam. Memoratu porro dignum est solutiones ex more tragicorum potius quam comicorum didacticorumque poetarum a Babrio posterioribusque admitti; anapaestum, ut exemplum afferam, solam primam in sedem et ceteros in pedes tantum in nomina propria admittunt et in quaedam verba facile contrahenda. Iam apud Pisidem trimeter iambicus e duodecim syllabis constat; integritas igitur pedum servatur. Accedit, quod Babrius syllabam ultimam vocum bisyllabarum aut ultimam paenultimamque polysyllabarum in arsi soluta ictu percutere aspernatur, qua in lege semel in his argumentis peccatum est, in v. 4 arg. Pac. Caesuras autem Babrius numquam neglexit nec semiquinariam nec semiseptenariam. Ergo auctor horum argumentorum ab arte metrica posteriorum poetarum iambicorum plane alienus est.

Num quis dubitare potest, quin haec argumenta propter metrum ipsum temporibus Alexandrinis, attribuenda sint, quin illi viri docti, quos initio huius opusculi commemoravi, non recte fecerint, quod haec argumenta aevi infimi esse Byzantini dixerunt? Praeterea autem sermo horum argumentorum tempora Alexandrina sapit. Quoniam autem Wagner in suo commentario de sermone atque indole argumentorum fusius disseruit, tantum paucis verbis ea, quae summi momenti sunt, dicere satis habeo.

Ac primum quidem mirum est, qua egestate atque exigui-

---

[1]) cf. Gleditsch l. c. p. 142.

tate haec argumenta sint ficta; cf. enuntiata, qualia scripta videmus in argumento Equitum v. 9:

ἐγένετο τοῦτ᾽· ἐξέπεσεν ὁ Κλέων παγκακῶς

vel in argumenti Ranarum v. 6: ἔπειτα μυστῶν ἐκλογή vel in argumenti Ecclesiazusarum v. 4: ἐποίησαν οὕτως vel alia id genus. Quid? Nonne summa indiligentia composita sunt argumenta? In argumento Acharnensium, ut exemplum afferam, legimus τινὲς σπονδὰς φέροντες, quamquam in fabula unus Amphitheus σπονδὰς φέρει; vel cf. v. 4 arg. Av. Quae scripta sunt ab homine, qui singula accurate narrare noluit. Eandem autem neglegentiam auctor in argumenti Pluti v. 2 praebet, quo loco virum quendam deum consuluisse comperimus, divitiasne, si naturam suam commutasset, sibi parare posset. At in versu ipsius fabulae ille Chremylus deum non pro se, sed pro filio suo consuluit. Multa alia id genus afferre possum, sed haec sufficere puto. Quibus ex rebus cognosci potest, qua temeritate neglegentiaque poeta in his argumentis fingendis usus sit; non eius intererat ea, quae fabula continentur, narrare nisi in transitu.

Usu autem verborum auctorem argumentorum poetas vetustos plerumque secutum esse dicendum est exceptis nonnullis formis ut ὀπτάνεται quae temporum Alexandrinorum sunt, ut supra demonstravi. Saepe constituere possumus, ut Wagner perscrutatus est, hunc auctorem genere dicendi Menandreo procul non esse ut iam usus verbi σκατοφάγος demonstrat, itemque illum secutum esse Menandrum, qui certorum verborum exitui versuum indendorum studiosus est. Quibus ex rebus equidem concludi posse nego ea, quae Wagner conclusit argumenta ab Aristophane Byzantio, cui pleraque sunt ascripta in codicibus, non abiudicanda esse, quod ille vir doctus Menandream artem optime cognovisset[1]). Qua re mihi id solum affirmari videtur, quod iam examinatione metri invenimus haec argumenta tem-

[1]) De Aristophane Byzantio auctore paulo infra plura dicam.

poribus Alexandrinis esse attribuenda. Nam neque in metro, neque in sermone in quidquam incidimus, quod abhorreret ab illis temporibus. Ergo hoc unum omnino vix in dubium revocari potest, quin haec argumenta temporibus Alexandrinis orta sint. Cui autem saeculo attribuenda sint, non pro certo statui potest. Sed equidem altero potius quam primo a. Chr. n. ea facta esse credam.

Habetis meum iudicium de aetate et indole argumentorum metricorum, quae ad Aristophanis fabulas exstant. Sed priusquam de eorum origine disputemus, nonnulla nobis dicenda sunt de ceteris argumentis metricis, quae exstant ad Menandri fabulam, quae inscribitur Ἥρως, ad Sophoclis Philoctetam et Oedipoda Regem.

Ac primum quidem de Herois Menandri argumento agam nuper a Lefeburio edito[1]).

Ἄρρεν τε θῆλύ θ' ἅμα τεκοῦσα παρθένος
ἔδωκεν ἐπιτρόπῳ τρέφειν· εἶθ' ὕστερον
ἔγημε τὸν φθείραντα. Ταῦτα δ' ὑπέθετο
ὁ τρέφων πρὸς αὐτὸν ἀγνοῶν. Θεράπων δέ τις
ἐνέπεσεν εἰς ἔρωτα τῆς νεάνιδος,
ὁμόδουλον εἶναι διαλαβών. Γείτων δέ τις
προηδικήκει μετὰ βίας τὴν μείρακα.
τὴν αἰτίαν ἐφ' ἑαυτὸν ὁ θεράπων στρέφειν
ἐβούλετ'. οὐκ εἰδυῖα δ' ἡ μήτηρ ἄγαν
ἐδυσχέραινε. καταφανῶν δὲ γενομένων,
εὗρεν μὲν ὁ γέρων τοὺς ἑαυτοῦ γνωρίσας,
ὁ δ' ἠδικηκὼς ἔλαβε τὴν κόρην θέλων.

Duobus locis textum mutavi.

1) Versus est traditus sic:

ἄρρεν τεκοῦσα παρθένος θῆλύ θ' ἅμα

quae verba teneri non possunt, quod quinta in arsi sylla-

[1]) Fragments d'un manuscrit de Ménandre, découverts et publiés par M. Gustave Lefèbvre, Le Caire 1907.

bam longam poscimus. Wilamowitz locum optime et facillime sanavit ordine verborum mutato et particula τε textui inserta, ut versus legatur hoc modo:

ἄρρεν τε θῆλύ θ' ἅμα τεκοῦσα παρθένος,

2) Optime nonnulli homines docti scribunt ἐπιτρόπῳ pro ἐπὶ τροφῷ, quae medela perspicua est.

Nunc pauca de metro huius argumenti. Auctor imitatur trimetrum comicum; nam primum tribrachi investigantur: prima in sede (v. 5), secunda in sede (v. 2, 11), tertia in sede ([v. 1], 10), quarta in sede (v. 8), quinta in sede (v. 3, 10), eique omnes recte compositi; deinde dactyli tertia in sede (v. 6, 7, 12) omnes in caesura; tum anapaesti: prima in sede (v. 4, 6), tertia in sede (v. 8), quinta in sede (v. 4); etiam in compositione anapaestorum extra licentiam poetarum comicorum didacticorumque non egreditur hic auctor. Caesurarum autem inveniuntur septies semiquinaria (v. 1, 4, 6, 7, 10, 11, 12), quater semiseptenaria (v. 3, 5, 8, 9), semel diaeresis medio in versu (v. 2); binos trisyllabos pedes videmus in versibus 4 (duos anapaestos), 6 (anapaestum et dactylum), 8 (anapaestum et tribrachum), 10 (duos tribrachos). Quibus ex rebus elucet hoc argumentum non distare ab illis fabularum Aristophanearum. Quamquam paulo melius hic auctor rem egit, tamen in nonnullis erravit. Ac primum quidem contra usum Atticum ὑπέθετο scripsit pro ὑπέθηκε (v. 3), tum ex Davi narratione v. 32 sqq. elucet geminos omnino non a Tibio patri pignori datos esse.

Non praetermittam omnia argumenta, quae Sulpicius Apollinaris Terenti comoediis praemisit, eundem versuum numerum praebere quem hoc Herois Menandrei.

Videte iam porro illa duo argumenta, quae sunt ficta ad tragoedias Sophoclis. Ordiar ab argumento Philoctetae, quod eius quoque metrum congruit cum argumentis metricis supra tractatis.

Χρύσης Ἀθηνᾶς βωμὸν ἐπικεχωσμένον,
ἐφ' οὗπερ Ἀχαιοῖς χρησθὲν ἦν θῦσαι, μόνος
Ποίαντος ᾔδει παῖς ποθ' Ἡρακλεῖ ξυνών,
ζητῶν δὲ τοῦτον ναυβάτῃ δεῖξαι στόλῳ
πληγεὶς ὑπ' ἔχεως, ἐλίπετ' ἐν Λήμνῳ νοσῶν.
Ἕλενος δ' Ἀχαιοῖς εἶφ' ἁλώσεσθ' Ἴλιον
τοῖς Ἡρακλέους τόξοισι παιδί τ' Ἀχιλλέως.
Τὰ τόξ' ὑπῆρχε παρὰ Φιλοκτήτῃ μόνῳ.
Πεμφθεὶς δ' Ὀδυσσεὺς ἀμφοτέρους συνήγαγεν.

Quod argumentum in optimo codice Laurentiano saeculi undecimi scriptum videmus. De metro autem huius argumenti monendum est omnes pedes trisyllabos, qui iambi loco poni possunt, secundum leges supra allatas inveniri, ut tribrachos secunda in sede (v. 5), tertia in sede (v. 8), quarta in sede (v. 1); ut dactylum tertia in sede (v. 5); ut anapaestos prima in sede (v. 6), altera in sede (v. 2, 7), quarta in sede (v. 9) eosque omnes in nominibus propriis exceptis anapaestis quinta in sede versus 7, quo tamen loco anapaestus sic ⏑ ⏑ – partitus nomine proprio, quod sequitur, excusatur, et quarta in sede versus 9, qui anapaestus una e voce compositus est. Bis autem apparent duo trisyllabi pedes uno in versu coniuncti (v. 5 tribrachus et dactylus; v. 7 duo anapaesti). In caesuris quoque nihil inusitati inest (octies semiquinaria (v. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 8, 9), semel semiseptenaria (v. 7) invenitur).

At argumentum Oedipodis Regis, de quo extremo loco nunc disputabimus, unum metro a ceteris argumentis metricis abhorret.

Λιπὼν Κόρινθον Οἰδίπους, πατρὸς νόθος
πρὸς τῶν ἁπάντων λοιδορούμενος ξένος,
ἦλθεν πυθέσθαι Πυθικῶν θεσπισμάτων,
ζητῶν ἑαυτὸν καὶ γένους φυτοσπόρον.
εὑρὼν δὲ τλήμων ἐν στεναῖς ἁμαξιτοῖς,

ἀκὼν ἔπεφνε Λάϊον γεννήτορα.
Σφιγγὸς δὲ δεινῆς θανάσιμον λύσας μέλος
ἤσχυνε μητρὸς ἀγνοουμένης λέχος.
λοιμὸς δὲ Θήβας εἷλε καὶ νόσος μακρά.
Κρέων δὲ πεμφθεὶς Δελφικὴν πρὸς ἑστίαν,
ὅπως πύθηται τοῦ κακοῦ παυστήριον,
ἤκουσε φωνῆς μαντικῆς θεοῦ πάρα
τὸν Λαΐειον ἐκδικηθῆναι φόνον.
ὅθεν μαθὼν ἑαυτὸν Οἰδίπους τάλας
δισσάς τε χερσὶν ἐξανάλωσεν κόρας,
αὐτὴ δὲ μήτηρ ἀγχόναις διώλετο·

Ac primum quidem de textu recensendo pauca afferam.

11) Vulgo legitur πύθηται, quod Brunck corrigere voluit in πύθοιτο memorans in apographo aliquo a prima manu scriptum esse πύθοιται. Sed πύθηται etiam post verbum historici quod dicunt temporis ἤκουσε πεμφθείς nullo modo offendere potest, cum non raro in enuntiatis finalibus tempora historica modus coniunctivus sequatur.

15) δισσαῖσι χερσίν L., quod satis inepte dicta esse concedo. Itaque iam Brunck e fabulae versu 1268 et ex Euripidis Phoenissarum versu 59 haec verba mutavit in πόρπαισι δισσάς. Sed equidem coniecturam Elmslei accipio et scribo δισσάς τε χερσίν, quae propius abest a litteris traditis.

Si quis de metro huius argumenti quaerat, admiretur, quod ubique iambi integri inveniuntur excepto versus 7 pede tertio, ubi dactylus positus est iambi loco, quod tamen offensioni non est, cum ille locus caesura divisus sit[1]). Caesurae quoque in argumento Oedipodis Regis ex more tragicorum poetarum apparent; omnibus enim in versibus exstat semiquinaria caesura, quam tragici poetae creberrimam adhibent, excepto versu 14, qui caesura semiseptenaria bipartitus est. Item genus dicendi, quod

---

[1]) Quem dactylum δει|νῆς θανά|σιμον delere nonnulli viri docti voluerunt scribentes θνήσιμον, quod verbum omnino non exstat.

est in hoc argumento minus neglegens atque simplex, di stat ab ceteris argumentis. At dixerit quispiam auctorem artem metricam tragicorum poetarum esse secutum, quod materia tragica breviter ei narranda esset, et auctores argumentorum metricorum semper in metro componendo eos secutos esse, ad quorum opera argumenta fingerent. Sed obstat argumentum Philoctetae. Mea quidem sententia de hac re certo iudicari non potest, quod tam pauca argumenta tragoediarum servata sunt.

Age nunc videamus, quod genus dicendi in argumentis, quae exstant ad Menandri Heroa et ad Sophoclis Philoctetam, usurpatum sit. Plurimae sententiae coniunctionibus inter se non sunt conexae, quod genus dicendi Graece λέξις εἰρομένη nominatur; imprimis vide argumentum Menandreae fabulae. Quamquam autem in his non tam neglegenter presseque quam in argumentis Aristophanearum fabularum res narrantur, tamen satis exiliter sunt ficta. Sermo est vulgaris temporum Alexandrinorum. Quod dicendi genus omnes argumentorum auctores vel ob eam causam coluisse videntur, ut argumenta quasi tituti fabularum praefationesve a discipulis facilius ediscerentur. Argumenta Sophoclis Menandrique eidem fere aetati deberi atque Aristophanis satis certum est[1].

II. De origine.

Quoniam de indole atque aetate argumentorum metricorum fuse disputavimus, iam quod est summi momenti, de eorum origine quaerendum est. Ac primum quidem de auctoribus nonnulla mihi esse disserenda existimo. Octo

[1]) Menandri argumentum servatum est in codice, quem viri docti quarto vel quinto saeculo tribuunt (cf. Pal. Soc. Part. VI, Pl. 127), ergo nullo modo in tempora Byzantina relegari potest.

argumenta Aristophanearum fabularum[1]) et argumentum Oedipodis Regis habent tituli loco Ἀριστοφάνους nomen inscriptum verbo γραμματικοῦ nonnullis apposito. Pluti et Ranarum argumenta in codice R inscribuntur, ut exemplum afferam: Ἀριστοφάνους ὑπόθεσις Πλούτου[2]); Acharnensium argumentum: ὑπόθεσις Ἀριστοφάνους; Ranarum et Vesparum in codice V: ὑπόθεσις βατράχων Ἀριστοφάνους; Vesp. in R, Av. Equ. Pac. Oedip. Reg. argumenta: Ἀριστοφάνους γραμματικοῦ ὑπόθεσις ἱππέων, ut exemplum afferam. Ergo tantum quattuor argumenta habent tituli loco Ἀριστοφάνους γραμματικοῦ. Equidem autem illis viris doctis assentiar, qui haec argumenta ab ingenio Aristophanis Byzantii alienissima esse putant; nam ieiuna argumenti expositio, ut Nauck ait, vix dignam praebebat studiis Aristophanis Byzantii occupationem. Schneidewin autem l. c. p. 35 disserit de hac re haec: „Aristophanis elegans doctrina verborum nitore commendabilis cum reliquis omnibus, qui in eodem opere elaboravissent, longe praestaret, factum videtur, ut ad principem τῶν ὑποθεσιογράφων vel ea referrentur, quae ab illo essent alienissima. Nam nisi quis id, quod non incredibile est, forti casuique tribuet, ut Aristophanis nomen non argumentis ἀμέτροις, quibus deberet, sed τοῖς ἐμμέτροις praefigeretur: nihil restat, nisi ut statuamus propter insignem famam, quam Aristophanes ista opera sibi conciliasset, nomen eius paene θετικόν τι in hypothesibus omnis generis evasisse.“ Fortasse res ita explanari potest, ut iam Groebl fecit, ut suspicemur nomine Aristophanis in inscriptionibus olim indicari poetam et hac inscriptione falso lecta nomen Aristophanis grammatici Byzantini in haec argumenta irrepsisse, praesertim cum vox γραμματικοῦ in plerisque argumentis non apposita sit. Conferte quaeso inscriptiones Ranarum et Vesparum, quas in codice R scriptas videmus,

---

[1]) Ach. Equ. Vesp. Pac. Av. Ran. Eccl. Plut.

[2]) Inscriptiones in codicibus plerumque sunt notatae ut $\overset{\pi}{\upsilon}$ βατρ$\overset{\chi}{\alpha}$.

ὑπόθεσις βατράχων Ἀριστοφάνους. Cui rei argumentum Oedipodis Regis, quod ipsum quoque tituli loco nomen Ἀριστοφάνους γραμματικοῦ habet repugnare videtur. Sed hic titulus nonne posterioribus temporibus exemplo ceterorum argumentorum et ex illis causis, quas Schneidewin attulit, additus esse potest? Sane puto. Nunc manendum in eo, ut ab Aristophane grammatico illas hypotheses aridas procul habeamus.

Breviter sententiam Wagneri astringam, qui omnia argumenta, quae ad fabulas Aristophaneas exstant etiam ea, quae titulo Aristophanis carent, a crimine νοθείας liberare vult. At mea quidem sententia causae quas Wagner l. c. affert, omni certo fundamento carent. Quod enim saepe in arte metrica inprimis in clausulis versuum auctor argumentorum metricorum consentiat cum Menandro, et quod Aristophanes Byzantius plurimi aestimaverit Menandrum, et quod dictionis quoque Menandreae similia in his argumentis inveniantur, eo demonstrari argumenta genuina esse Aristophanis Byzantii putat Wagner. Grammaticum autem illum pro puero quodam quem historia litterarum docuerit, illa argumenta finxisse ediscendi causa puerili genere dicendi idem concludit. Ut hanc sententiam fulciat, admonet de opere Niebuhri, quod inscribitur „Griechische Heroengeschichten von B. G. Niebuhr, an seinen Sohn erzählt". At primum Wagnerum non recte fecisse arbitror, quod illud opus Niebuhri cum his argumentis comparat. Nam ea, quae illo opere Niebuhri continentur, alienissima sunt ab iis, quae his argumentis continentur. Fabulas heroicas parvolis pueris pueriliter narrare solemus, qua ex re stilus ille Niebuhri intellegi potest. Sed longe aliud est ea, quae comoediis continentur, pueris narrare. Praeterea equidem non puto temporibus Alexandrinis pueros in schola iam a primis temporibus aetatis, quibus solis dictio puerilis fortasse in docendis pueris magistro digna est, in comoediis occupatos esse. Ergo nihil demonstravit Wagner nisi ex-

tare similitudines quasdam argumentorum cum Menandro; id quod nemo mirabitur in eo auctore, qui argumenta ad comoedias fingit. De auctoribus igitur horum argumentorum nil nisi hoc dici potest eos temporibus Alexandrinis vel, ut definite dicam, Ptolemaicis vixisse; qui autem fuerint, scire non possumus neque magni interest scire.

Attamen illa disquisitione de aetate et indole argumentorum metricorum etiam originem illustrari puto. Quam ad quaestionem diiudicandam quibusdam papyris in vico Aegyptiaco, qui dicitur Ghorân, paucos ante annos repertis adiuvamur. Illas autem papyros edidit P. Jouguet in ephemeride Francogallica „Bulletin de correspondance Hellénique" t. 30 (1906) p. 103 sqq. Secunda enim papyrus habet scriptos in averso duos prologos satis miros, e quibus novam lucem affluere argumentis metricis credam. Itaque maxime mea interest quaestione de argumentis ipsis metricis intermissa illos prologos accurate diligenterque examinare.

Atque illa papyrus personae mortuae arte conditae erat. Quattuor sunt laciniae voluminis, quae facile conecti possunt et quarum textus in plagulas viginti septem versuum divisus est. Ex iis autem, quae in illo fragmento legi et cognosci possunt, illo volumine comoediam quandam contineri videmus[1]). Quo autem fere tempore illud volumen sit scriptum, primum ex iis papyris concludi potest, quae in mortua insuper inventae sunt; pertinent enim ad Ptolemaeum Philadelphum. Elucet igitur hanc papyrum temporibus Ptolemaicis iisque prioribus esse attribuendam. Idem probant formae vetustiores litterarum N, σ, ο, θ, Π, quae non ita longe absunt a scriptura titulorum lapidi incisorum; nec minus bene ad illam aetatem quadrat orthographia, de qua paulo infra fusius agetur. Ergo ne longius provehar, tex-

1) De comoediae indole atque aetate nuper egit A. Koerte, Hermes 1908.

tus comoediae fere anno 200 ante Christum natum scriptus est.

Iam nova quaestio exsistit de aetate prologorum duorum, qui in parte aversa scripti sunt a duobus scribis, quorum neuter scripsit textum comoediae. Etsi manum prioris prologi magis cum comoediae scriptura congruere Iouguet adnotat, tamen vel e forma litterae Ⲁ elucere mihi videtur manus esse diversas. Illos textus misere laceratos summatim bene restituisse Blass mihi videtur atque recte declaravisse iis prologos comoediarum contineri[1]). Sed si prologos multo posteriores esse textu adversi neque eundem auctorem habere ac fragmentum comoediae Blass et Iouguet dicunt, non plane eis assentiar.

Primum textum prologorum affero:

Prologus primus:

Ἔρως [Ἀφρο]δίτης υἱὸς ἐπιεικὴς [ν]έος
νέος ἐ[πιεικ]ὴς υἱὸς Ἀφροδίτης Ἔ[ρως]
ἐλήλυθ[α ἀ]γγελῶν τοιοῦτο πρᾶγμά τι,
πρᾶγμ[ά] τι τοιοῦτον [ἀγ]γελῶν [ἐλ]ήλυθα
κατὰ τ[ὴ]ν Ἰωνίαν πάλαι γεγεν[ημ]έ[νον,
γεγ]ενημένον πάλαι κατὰ τὴν [Ἰων]ίαν.
κόρ]ην νεανίσκος [ν]έαν Τροιζ[ηνία]ν,
Τροιζηνίαν [νέαν νε]αν[ίσκος κόρην
ἐπρίατο [ἐρασθε]ὶς [εὔπορος πωλουμένην]
πωλουμένην εὔπορ[ο]ς ἐ[ρασθεὶς ἐπρ]ία[το.
Τ]ροιζήνιος γεγε[νη]μ[ένος κατὰ τοὺς νόμους]
κατὰ τοὺς [ν]όμους γεγενημένος Τροιζήνιος,
ἔχων γυναῖ[κα] κατε[βίω· τὸ τέρμα ἔχεις·]
ἔχεις τὸ τέρμα· κατ[ε]β[ίω γυναῖκα ἔχων.

---

[1]) Blass admonet de papyro Eudoxi saeculi secundi a. Chr. n., quo ipso quoque averso parvum carmen, quod vocatur ἀκροστιχίς, legitur tituli aut praefationis loco.

Prologus alter:

ἱερὸς ὁ δῆμος· ἡ λέγους' ἐγὼ Κ[ύ]πρις
ἐν τῶι τόπωι δὴ τῶιδε δι' ἐμοῦ π[ρᾶγμά τι
γεγονός, δι' ἧς ἅπαντα γίνεται κα[λά
ἥκω φράσουσα δεῦρο· τοῦ δὲ μὴ δοκεῖν
ἡμᾶς ἀγυμνάστως ἔχειμ ποιητ[ικ]ῆ[ς,
ἅμα μὲν τὸ πρᾶγμα [ἐ]ροῦμεν, ἅμα δὲ [παιγνίωι
χρησόμεθα. τῶν ἐπῶγ γάρ, ὧμ μέλλομ[εν ἐρεῖν
ἕκαστον ἀπὸ τῶγ γραμμάτων ῥ[ηθήσεται
ἃ δ⟨ὴ⟩ νόμωι στοιχεῖα προσαγορεύομεν,
ἓν ἀφ' ἑνὸ[σ ἑ]ξῆς κατὰ φύσ[ιγ] γεγραμμ[ένα
ἀκόλουθα καὶ σύμφωνα, [δι]ατρ[ι]βὴ[ν] δ[ὲ μὴ
ἔχωμεν, ἀπὸ τοῦ δ' ἄλφα π[ρ]ῶ[το]ν ἄ[ρ]ξο[μαι.
Αὐτῶν ἑταῖροι φ[ῶ]ς τ[ε καὶ παραψυχή
Βίου] τιν[ὲς μ]ισθωσά[μ]ε[νο]ι
Γ] ἠκούσ[α]τ[ε
Δ]
Ε]
κ. τ. λ.

Si scripturam spectamus, in utroque prologo formam litterae Ⲁ notabimus, cuius hasta media fracta est. Hanc formam iam in papyro Chrysippi, quae saeculi tertii a. Chr. n. est, interdum invenimus; cf. quae dicit Blass in libro suo de palaeographia[1]). Exemplum aliud eiusdem formae exstat in papyro Euripidis Antiopae, quae fere anno 245 a. Chr. n. orta est[2]). Hac igitur forma non cogimur ad recentiora tempora prologos relegare. Insunt autem alia, quae longum temporis spatium inter aversi et adversi scripturam interponere vetant. Ut minora omittam, vel forma vetusta Π commovemur, ut hanc papyrum prioribus temporibus Ptole-

---

[1]) Iw. Müllers Handbuch I. p. 306.

[2]) Mahaffy, Cunningham Memoirs t. 8. 9. p. 28 sqq.

maicis attribuamus. Etiam plus lucri ex orthographia nobis accedit. In secundo enim prologo ut in papyro adversa, littera ν finalis assimilata est litterae sequenti vel labiali vel gutturali (v. 5: ἔχειμ ποιητικῆς; v. 7: ἐπῶγ γάρ; ὧμ μέλλομεν; v.8: τῶγ γραμμάτων). Primo in prologo hanc assimilationem non invenimus, quamquam occasio litterarum assimilandarum erat data, ut v. 13 ἔχων γυναῖκα. Mayser l. c. p. 23 tabellis demonstrat litteram ν finalem labiali sequenti saepe saeculo tertio a. Chr. n. assimilari, secundo autem saeculo assimilationem multo rarius investigari; sed sequenti gutturali assimilari in papyris non nisi saeculo tertio[1]). Vide, quaeso, tabellam Mayseri:

ν wird	vor Labialen		vor Gutturalen	
	assim.	nicht assim.	assim.	nicht assim.
im 3. Jahrh. v. Chr.	53	216	15	136
Verhältnis	1 : 4		1 : 9	
im 2. Jahrh. v. Chr.	10	110	0	80
	1 : 11		0 : 80	

Sed quod saepissime, quibus in papyris opera vetusta scripta videmus, orthographia vetusta longius servatur, ut in papyris Euripidis Antiopae et Eudoxi saeculi tertii et secundi a. Chr. n., non pertinet ad hunc prologum, quod non vetustissimi auctoris est. Itaque putandum non est orthographiam ex exemplo quolibet antiquo esse translatam. Orthographia ergo certissimo testimonio demonstrari puto illam papyrum saeculo tertio exeunte vel secundo ineunte a. Chr. n. esse scriptam, praesertim cum prologum secundum, qui illam orthographiam scripturamque imprimis ostendit,

[1]) cf. etiam, quae de eadem re Meisterhans ex inscriptionibus Atticis reclusit (Grammatik der alt-attischen Inschriften p. 85).

postremum esse scriptum certissimum sit. Quibus de causis Blassii et Iouguetii sententiam esse refellendam existimo. Certum esse mihi videtur illos prologos non multo posteriores esse textu chartae adversae.

Sed reliquum est, ut quaeramus, quae res illis prologis contineantur et quo metro componantur. Ac primum quidem de prologo primo agamus. Eros, filius Veneris, prologum pronuntians fingitur: Se venisse ad fabulam nuntiandam, quae antiquis temporibus in Ionia sit facta; iuvenem divitem amore inductum puellam Troezeniam emisse et in matrimonium duxisse, postquam ipse civis Troezenius factus sit. Sed haec exilis narratio tam absurde est porrecta, ut omnia verba uniuscuiusque versus semper ratione retrograda in versu sequenti repetantur. Quibus de versibus anacyclicis qui dicuntur in epimetro huius commentarii disputabo. Illud artificium nemo assequi potest, quin elocutione simplici ac paene puerili utatur. Non casu igitur fit, quod sermo prologi mirum in modum congruit cum versibus quibusdam, quos auctor ad Herennium ad pravum narrationis morem illustrandum profert I, 9, 14:

„Athenis Megaram vesperi advenit Simo.
Ubi advenit Megaram, insidias fecit virgini.
Insidias postquam fecit, vim in loco attulit.“

Hos versus ex comoediae argumento sumptos esse iam Eduardus Norden (Antike Kunstprosa I, p. 37 adn.) felici acumine suspicatus est. Cognovit idem initiales versuum litteras exhibere syllabas Avi-, ita ut fabulae titulus per acrostichidem expressus Aviarius fingi posset[1]). Primo a. Chr. n. saeculo fabulis Romanis argumenta metrica eaque acrosticha praemissa esse iam nemo mirabitur.

Lusit autem auctor prologi Graeci in sonis quoque, nam consulto, si quid video, in v. 8 similes syllabas continuavit: Τροιζηνίαν νέαν νεανίσκος.

---

[1]) cf. Anaxilae Ὀρνιθοκόμους (C. A. F. II 272 K) et Nicostrati Ὀρνιθευτήν.

Atque haec hactenus. De metro autem huius prologi disserendum erit, si prologum alterum interpretati erimus. Cuius prologi initium difficile est intellectu, quod verba ἱερὸς ὁ δῆμος satis obscure sunt dicta. Croiset initio huius prologi talem fere versum praemittere vult:

Ὃν ἐνθάδ' ὁρᾶτε, Πάφιος οὗτος ἐστ' ἐμοῦ
ἱερὸς ὁ δῆμος.

Sed in charta nihil deesse manifestum est; ut omittam versum illum neque cum prologo priore neque cum fabulae reliquiis congruere. Coniectura primum versum sanare conatus est Henricus Weil, qui pro ἱερὸς ὁ δῆμος proposuit Ἵμερος ὅδ' οὑμός i. e. lingua vernacula: „Hier ist mein Himeros, diejenige, die spricht, bin ich, Kypris." Himerum enim esse comitem Veneris sempiternum admonet Weil. Sed mea quidem sententia coniecturae illorum virorum doctorum sunt supervacaneae. Equidem puto verbis ἱερὸς ὁ δῆμος eos, qui spectant aut legunt hanc comoediam, significari populum, qui sacer est deo Dionyso, sub cuius tutela et in cuius honorem fabulae aguntur. Similiter Pindarus significat certamina verbo ἱερά; cf. N. II, 4:

καὶ ὅδ' ἀνήρ
καταβολὰν ἱερῶν ἀγω-
νων νικαφορίας δέδεκται;

item N. VI, 59 et O. VIII, 64, ut indicet certamina deis esse sacra. Vocem autem ἱερός illa significatione in personas relatam invenimus in Aristophanis Ranarum v. 675 quo loco verbis χοροὶ ἱεροί chorus mysteriis initiatus significatur. Sed ex multis exemplis illa attulisse satis erit ad usum illum vocis ἱερός illustrandum. Meo quidem iudicio facile hoc loco subaudiri potest: ἱερὸς ὁ δῆμος ⟨διὰ τοῦτ' εὐφημεῖτε⟩. Ita enim saepe is, qui prologum pronuntiat, spectatores adhortatur, ut ex prologis Plautinis cognoscitur, cf. quaeso v. 3 prologi Poenuli Plautini, ubi legimus:

„Sileteque et tacete atque animum advortite;"

vel v. 15 prologi Amphitruonis.

Versum mutilatum 8 Blass supplevit ῥ[αψῳδικῶς, sed mihi magis placet coniectura Koertii ῥηθήσεται, quod verbum optime ad praeeuntia futura ἐροῦμεν et χρησόμεθα quadrare mihi videtur.

Hoc quoque in prologo ludicra inveniuntur. Inde enim a versu 13 usque ad finem prologi ea, quae comoedia continentur per acrostichidem se narraturum esse poeta dicit. In acrostichide primae litterae singulorum versuum vim habent aliquam arcanam. Atque in nostro quidem prologo litterae initiales κατ' ἀλφάβητον dispositae erant. Lusum acrostichidis poetas Alexandrinos petere potuisse ex psalmis veteris testamenti, in quibus singularum stropharum primae litterae κατ' ἀλφάβητον dispositae sunt, Brunet de Presle l. c. p. 1—5 suo iure dicit. Acrostichis iam satis antiquis temporibus poetis usui fuerat; exemplum, quod nobis vetustissimum est servatum, exstat in carminibus Sibyllinis, quae tradita sunt in libro Phlegontis Trallensis, quae Diels „sibyllinische Blätter" (Berlin 1890) exeunti tertio aut ineunti secundo saeculo attribuit. Deinde eadem forma est fictum carmen quoddam saeculi secundi a. Chr. n., quod tituli loco commentario Eudoxi, qui dicitur, in papyro Parisiensi praemissum videmus. Maxime autem in epigrammatibus ἀκροστιχίς posterioribus temporibus usurpatur. Exempli causa nomino epigramma Catilii cuiusdam filii Nicanoris (Kaibel Epigr. Graec. ex lapidibus coll. 979), quod primis syllabis singulorum versuum nomen auctoris ΚΑ – ΤΙ – ΛΙ – ΟΥ – ΤΟΥ – ΚΑΙ – ΝΙ – ΚΑ – ΝΟ – ΡΟΣ nuntiat; quem fere Christi temporibus vixisse Letronne (inscriptions de l'Égypte II, p. 143) dicit; cf. epigrammata editionis Kaibelianae 149, 226, 726. Postea illa forma in argumentis comoediarum Plautinarum est adhibita, in quibus litterae primae singulorum versuum nomen fabulae nuntiant. Hic igitur prologus in numero vetustissimorum exemplorum acrostichidis est referendus.

Lusum illum tunc temporis nondum decantatum fuisse

vel ex eo cognoscitur, quod prologi poeta tot ambagibus lectorum animos praeparat.

De elocutione autem hoc unum moneo poetae non crimini vertendum esse, quod v. 4 ad genitivum infinitivi τοῦ δὲ μὴ δοκεῖν praepositionem ἕνεκα non addit. Huius enim usus satis multa exempla legimus in novis Menandri fragmentis; cf. Disceptantium v. 306:

ἃ δ' ἂν λέγῃ
προσομολογήσω τοῦ διαμαρτεῖν μηδὲ ἓν
προτέρα λέγους';

vel v. 310 eiusdem fabulae, vel v. 56 Circumtonsae:

καὶ συνηγμένοι
εἰς ταὐτόν εἰσιν οἱ συνήθεις τοῦ φέρειν
αὐτὸν τὸ πρᾶγμα ῥᾷον.

Versum 13 lacunosum Blass bene voce παραφυγή supplevisse mihi videtur; syllabam enim — φυ — vocis παραφυγή brevem esse demonstrat v. 280 Euripidis Hecubae, ubi ipso in exitu versus παραφυγή legimus:

ἥδ' ἀντὶ πολλῶν ἐστί μοι παραφυγή.

In versu sequenti forma verbi μισθοῦν vel μισθοῦσθαι inerat; cetera obscura sunt. Utrumque prologum pertinere ad comoediam in adverso scriptam manifestum est.

Nunc quaeramus, quae prologi de eis, quae comoedia continentur, nuntient. Primo in prologo satis aride tenuiterque res comoediae indicantur. Comperimus enim tantum adulescentem amore inductum emisse et deinde in matrimonium duxisse puellam Troezeniam. Secundus autem prologus de comoediae rebus nihil fere indicat, quod papyri pars, in qua argumentum scriptum erat, deleta est; tantum de quibusdam amicis admonemur ultimo versu qui servatus est. Iam ex partis adversae fragmentis in comoedia primas partes egisse adulescentem videmus nomine Phaidimum, qui maxima diffidentia in amicos suos est. Pater meretricem illi adulescenti eripuisse videtur, quam in matrimonium ducere voluerat. Ut iam Blass et

Iouguet censuerunt, ego quoque adulescentem, cuius in primo prologo mentio fit, illum Phaidimum esse et illam meretricem puellam Troezeniam huius prologi puto. At hoc fragmentum non comoediae Menandreae — Blass et Iouguet admonent de Ἀπίστῳ Menandri[1]) — esse Koerte in „Hermae“ volumine XLIII, p. 38 sqq. suo iure mihi contendere videtur: Dictionem atque dicendi genus aliena esse ab arte Menandrea, quae plane eluceat ex fragmentis iam diutius cognitis Circumtonsae Adulatoris Agricolaeque, imprimis autem ex fragmentis nuper repertis; numquam in comoediis Menandreis sententias esse tam copiose et tamen aride dictas, ut in versibus 128 sqq. huius fragmenti, quibus de animo fallaci amicorum agatur, aut in versibus 136 sqq., quibus de vita amicitia carente sit sermo; etiam usu verborum auctorem huius fragmenti longe distare a Menandro. Ergo cum Koertio abiudicandum esse hoc fragmentum a Menandro arbitror. Quis fuerit auctor, statui non iam potest[2]). Nomen autem huius comoediae Koerte proponit Τροιζηνία, quod primo ex prologo bene eruisse mihi videtur. Nam poetae mediae atque novae comoediae quae vocantur saepe ex urbibus aut nationibus nomina comoediis imponunt; cf. mediae comoediae titulos ut Βοιωτίς, Ἐπιδαύριος Antiphanis, Σαμίαι Anaxandridis aut novae comoediae Περινθία, Μεσσηνία Menandri.

Sed nunc satis multa verba fecisse videor de aetate

---

[1]) Blass et Iouguet fragmentum illud, quod solum comoediae Menandreae, quae inscripta erat Ἄπιστος, nobis traditum est (Kock III, p. 21 frg. 64), ad fragmentum huius papyri bene quadrare putant. Qua de re meo iudicio ex illo fragmento a Kockio allato nihil concludi potest. Fragmentum audi:

φῄμην, εἰ τὸ χρυσίον λάβοι
ὁ γέρων θεράπαιναν εὐθὺς ἠγορασμένην
ἄβραν ἔσεσθαι.

[2]) Wilamowitz l. c. p. 35 admonet de poetis comicis Alexandriae florentibus, quorum nomina nobis sunt ignota excepto nomine Machonis, cuius Athenaeus bis (241 f. et 664 a) mentionem facit.

et indole prologorum, ut putem id, quod summi momenti est ad hanc totam quaestionem disceptandam, esse demonstratum hos prologos talibus artificiis ornatos et tum exiliter fictos numquam destinatos esse ad spectaculum. Wilamowitz non recte facere mihi videtur, quod l. c. hos prologos partem comoediae esse dicit. Sed posteriore loco ad hanc rem revertar.

Nunc pauca de arte metrica prologorum. Prioris prologi auctor in anapaestis adhibendis comicos didacticosque poetas secutus est. Nam anapaesti inveniuntur ter prima in sede (v. 5, 6, 12); semel altera in sede (v. 1); bis tertia in sede (v. 11, 12); semel quarta in sede (v. 6); bis quinta in sede (v. 5, 11). Qua ex re in primum pedem etiam in hoc prologo ut apud poetas comicos facilius quam in ceteros pedes admitti anapaestum videmus. Anapaesti una e voce compositi sunt hi: v. 1, 5, 6, 11, 12; duabus e vocibus arte cohaerentibus: v. 5, 6, 11, 12 Item auctor cum poetis comicis in dactylis tribrachisque usurpandis congruit. Dactylum enim investigamus v. 4 prima in sede, v. 10 tertia et quinta in sede. Semel (v. 4) dactyli syllabae breves divisae sunt inter duas voces, sed non contra legem, nam tertia dactyli syllaba est vocabulum monosyllabum encliticum. Tribrachi apparent bis prima in sede (v. 2, 9); bis tertia in sede (v. 13, 14); bis quarta in sede (v. 1, 2). Quorum compositio est eadem ac in argumentis metricis; in v. 2 νεὸς ἐ|πιεικής eundem tribrachum minus usitatum invenimus, quem in argumenti Pacis v. 4.

Alterius prologi metrum ad trimetrum tragicum propius accedit; nam inter quattuor anapaestos, qui hoc in prologo inveniuntur, tres prima in sede apparent (v. 3, 6, 11); quartus autem exstat quarta in sede (v. 14). Tribrachus autem eodem modo admissus est ac priore in prologo; invenitur enim quater quarta in sede (v. 2, 6, 9, 11), bis prima in sede (v. 1, 10), bis secunda in sede (v. 8, 12). Inter quos duo tribrachi sunt compositi e tribus vocibus (v. 2, 10); sed cum secunda syllaba sit praepositio, quae

artissime coniuncta est cum voce sequenti, illi tribrachi offensioni esse non possunt. Deinceps dactyli secundum legem nisi in imparibus sedibus non apparent. Coniunctio quoque metrorum est absoluta ac perfecta. Caesurarum autem semiseptenariam saepius inveniri (v. 2, 3, 4, 6, 9, 11, 12) notandum est.

Disquisitione igitur metrica prologorum illud affirmatur, quod iam ex eorum scriptura et orthographia statuimus, eos temporibus Ptolemaicis esse attribuendos iisque prioribus, quod posterioribus trimeter solutus rarius usui esse coepit.

Ut iam supra commemoravi, equidem cum Koertio[1]) nego hos prologos unquam pronuntiatos esse in theatro, ne hoc quidem Leoni concedam esse eos compositos ad novam fabulae actionem introducendam; non sunt veri prologi, id est pars comoediae, qua fabula introducitur. Quod iam ex ludicris artificiisque usurpatis intellegi potest, quae neutiquam apta erant ad pronuntiandum. Quid? Per se nonne intellegitur tales prologos non eiusdem auctoris esse ac fragmenta voluminis adversi? Tituli aut praefationis loco aversae parti voluminis postea inscripti sunt, alter post alterum a diversis ut scribis ita auctoribus. Mea quidem sententia hi prologi non longe distant ab illis argumentis, ne dicam, idem sunt quod argumenta metrica. Docent nos, quomodo illa argumenta sint orta. Nam illi prologi duas partes exhibent, quarum altera is, qui prologum pronuntiat, introducitur altera argumentum narratur.

Melius autem duae illae partes cognosci possunt in prologo quodam, quem Kaibel ex papyro Argentoratensi 53[2]), edidit, deinde Reitzenstein[3]), tum Henricus Weil[4]) tractarunt.

---

[1]) Verhandlung d. 49. Versammlung deutscher Philologen und Schulmänner in Basel 1907 p. 44 et Hermes XLIII p. 38 sqq.

[2]) Nachrichten der Göttinger Gesellschaft der Wissenschaft 1899 p. 549 sqq.

[3]) „Hermes" 35 (1900) p. 622.

[4]) Études de littérature et de rythmique grecques 1902 p. 20 sqq.

Contra Weilii et Reitzensteini sententiam Kaibelium secutus e versu 15 concludam prologum ab ipso Dionyso pronuntiari. Weil et Reitzenstein nimis argute, ut mihi videtur, illum locum interpretantur. Consulto enim Dionysum ipsum auctor induxisse arbitror, quod in huius prologi prima parte collegas suas aggreditur, qui longis verbosisque prologis spectatores magis fatigarent conturbarentque, quam instruerent. Quam ob rem verus deus, qui prologum pronuntiet, inducitur, non deus a poeta creatus, ut in comoediis Menandri, Philemonis, Diphili Ἔλεγχος vel Ἀήρ vel Ἀρκτοῦρος vel Ἄγνοια. Dionysus autem, qui praesidet spectaculo et poetas semper consilio adiuvat, idem peccare non potest quod ficticii illi dei, breviter sed tamen perlucide res declarabit[1]).

Sed nunc hoc, quod minoris momenti est ad hanc quaestionem de argumentis metricis incohatam, missum facio. At permagni refert alteram partem illius prologi considerare. Qua parte ut in illis prologis supra allatis poeta argumentum narrat. Reitzenstein hoc prologo papyri Argentoratensis ad historiam comoediae illustrandam profici aliquid recte admonet. Discimus enim longis diffusisque prologis a divo προσώπῳ προτατικῷ enuntiatis poetas uti solitos esse prioribus temporibus, deinde autem dei loco saepius unum ex histrionibus prologum enuntiavisse, tum argumentum totum non iam in prologo narratum esse, sed initio fabulae ipso expositionem et ea, quae ad fabulam intellegendam cognoscenda sunt, esse explanata[2]). Cognoscimus igitur ex illa re ea, quae Leo in libro suo „Plautinische Forschungen“ p. 174 et 198 contendit prologos Plautinos fere omnes origine Graeco esse recte se habere. Illam

---

[1]) De deo vero Reitzenstein quoque cogitavit, sed de Apolline vel Mercurio.

[2]) cf. Reitzenstein l. c. p. 265. Cum Reitzensteino contra Leonem puto illa tria genera prologorum potius se secuta esse, quam ut una exsisterent.

autem ultimam rationem prologorum fingendorum, qua argumenti explanatio initio fabulae inserta est, invenimus in fabulis Terentianis; Plautus in prologis Asinariae Vidulariaeque exempla edidit.

Sed liceat me hoc loco etiam ea proferre, quae Donatus de prologis dicit[1]): „Prologus est prima dictio a Graecis dicta πρῶτος λόγος, vel antecedens veram fabulae compositionem elocutio. Eius species sunt quattuor: συστατικός, commendativus, quo poeta vel fabula commendatur; ἐπιτιμητικός, relativus, quo aut adversario male dictum aut populo gratiae referuntur; δραματικός, argumentativus, exponens fabulae argumentum; μικτός, mixtus, omnia haec in se continens." Sed verbum δραματικός, ut Leo l. c. dicit, falso versum est in verbum Latinum „argumentativus"; nam argumentativus respondet voci Graecae ἐξηγητικός aut διηγηματικός. At prologus δραματικός pronuntiari debet a persona fabulae non ab eo, qui vocatur πρόσωπον προτατικόν; cf. scholia ad Dionysium Thracem p. 450, 5 ed. Hilgard: δραματικὸς (χαρακτήρ) ὁ κεχωρισμένος τοῦ ποιητικοῦ προσώπου, ὑπὸ δὲ τῶν παρεισαγομένων προσώπων λεγόμενος. Prologos autem argumentativos non ita longe abesse ab illo primo genere prologorum, quod verbis πρόλογοι συστατικοί ille grammaticus significat, Leo recte dicere mihi videtur; nam πρόλογοι συστατικοί poetam vel fabulam commendant, qua cum commendatione narratio argumenti coniungi potest et plerumque coniuncta erat; cf. ut exemplum afferam, prologum Plautini Amphitruonis.

Sed nunc redeamus ad argumenta metrica, unde aberravimus. Vidimus his ea, quae singulis comoediis continentur, exponi; invenimus igitur in eis illam secundam partem prologorum, qui a Donato συστατικοί vocantur. Si prologis argumentativis ea, quae praeter argumenti narrationem insunt, demis, en habes argumenta metrica. Hoc

---

[1]) cf. Don. comm. Ter. I p. 27, ed. Wessner.

modo re vera metrica argumenta orta esse docent, si quid video, prologi Ghoranenses, qui inter veros prologos et argumenta metrica medium locum tenent. Iam non in theatro recitantur, non a fabulae poeta ipso compositi sunt, sed servarunt prologorum deos argumenta narrantes. Imprimis autem illo argumento ad fabulam Menandri nuper repertam mihi illustrari videtur argumenta metrica esse correptos prologos. Nam conferas quaeso hypothesin Menandreae fabulae cum secunda parte illius prologi papyri Argentoratensis aut cum eadem parte prologorum Plautinorum[1]), qua continetur argumentum fabulae, in quibus omnibus argumentum perlucide nec tam neglegenter ut in argumentis, quae ad Aristophanis fabulas exstant, narratur.

Sed hic quaerat quispiam, quomodo aliquis inciderit in argumenta ad Aristophanis fabulas fingenda. Quod facile esse intellectu puto. Ut enim prologi, quibus argumenta fabularum continentur, ad comoedias recentiores Graecas exstabant, ita eos ad comoedias Aristophaneas postea ab iis, qui legebant, desideratos esse iudico. At prior pars prologorum, qua poeta vel de studiis suis disseruit vel adversarios aggressus est — quae poetae veteres comici facere solebant in parabasi, quae apud recentiores poetas comicos non exstat — temporibus posterioribus ad argumenta Aristophanearum fabularum non iam referri potuit. Equidem ergo illud, quod Kaibel l. c. p. 555 elocutus est, pro certo statuere malim: „Es ist, als ob die jambischen Inhaltsangaben zu Aristophanes' Komödien sich diesen oder ähnliche Prologe zum stilistischen Muster genommen hätten." Argumenta metrica quae ad Sophoclis Oedipoda Regem et Philoctetam exstant, mea quidem sententia exemplo illorum ad comoedias fictorum orta sunt. Illa autem supra relata sententia insuper affir-

[1]) Nonnulli prologi Plautini nihil fere continent nisi fabulae argumentum instar hypothesium metricarum; exempli gratia nomino Aulularaiae Cistellariae Captivorum prologos.

mari mihi videtur ea re, quod hypotheses metricae toto caelo distant ab hypothesibus oratione soluta scriptis. Semper enim hypotheses metricae praebent nudum argumentum, nihil umquam de choro, de actione, de eventu fabulae referunt, in quibus enarrandis hypotheses pedestres versantur[1]). Quo etiam factum est, ut prima natura prologi plane oblitteraretur et argumenta metrica fierent quasi tituli fabularum, qui apti erant ad perdiscendum; ob id ipsum acrostichis aliique lusus adhibentur, ut facilius memoria teneantur argumenta. Exstitisse argumenta acrosticha Graeca, ad quorum exempla Plautina composita sunt, iam vix potest negari post prologum Ghoranensem repertum.

Epimetrum.

De versibus anacyclicis qui vocantur.

Exstat figura rhetorica, quam Volkmann in libro suo „Die Rhetorik der Griechen und Römer“ p. 397 sqq. ἐπανάληψιν vocat[2]); exempla ἐπαναλήψεως afferam duos locos Homeri X v. 127 sq.:

τῷ ὀαριζέμεναι, ἅ τε παρθένος ἠίθεός τε
παρθένος ἠίθεός τ' ὀαρίζετον ἀλλήλοιν

Y v. 372 sq.:

τῷ δ' ἐγὼ ἀντίος εἶμι, καὶ εἰ πυρὶ χεῖρας ἔοικεν,
εἰ πυρὶ χεῖρας ἔοικε, μένος δ' αἴθωνι σιδήρῳ.

Haec ἐπανάληψις ita augeri potest (ut in prologo primo

---

[1]) Ne iudicium quidem de fabula ferunt argumenta metrica exceptis versibus illis de Nubibus, quos supra tractavi.

[2]) cf. Alexandri Numenii filii, qui Hadriani temporibus floruit, librum περὶ τῶν τῆς διανοίας καὶ τῆς λέξεως σχημάτων, in quo etiam agit περὶ ἀναδιπλάσεως ἢ παλιλλογίας ἢ ἐπαναλήψεως; vide Walzii rhetores Graecos vol. VIII, p. 462 et 463.

papyri Ghoranensis), ut omnia verba prioris versus ratione retrograda in versu sequenti repetantur. Tales versus nominantur ἀναστρέφοντες vel ἀνακυκλικοί[1]); cf. Brunckii analecta veterum poetarum Graecorum, t. II p. 382, quo loco ille cuiusdam medici Nicomedis Smyrnaei versus ἀνακυκλικούς tradit. Audi modo poetam:

Πηνελόπη τόδε σοι φᾶρος καὶ χλαῖναν Ὀδυσεύς
ἤνεγκεν, δολιχὴν ἐξανύσας ἀτραπόν

converso modo hoc distichon legitur sic:

Ἀτραπὸν ἐξανύσας δολιχὴν ἤνεγκεν Ὀδυσεύς
χλαῖναν καὶ φᾶρός σοι τόδε, Πηνελόπη

aliaque. Quae praestigiae simillimae sunt iis, quae significantur voce καρκῖνοι (στίχοι ἔμμετροι κατὰ ἀναποδισμόν), quales Duebner in „Anthologiae Palatinae" appendice collegit (p 608), qui ab Leonis Allatii editi sunt inter „Excerpta varia Graecorum sophistarum ac rhetorum" (Romae 1641 p. 398) ex codice aliquo cum hoc lemmate Λέοντος τοῦ φιλοσόφου καρκῖνοι. Nonnulla exempla afferam:

Ἀμήσας ἄρδην ὀροφηφόρον ἥδρασα σῆμα

aut

Ἤδη μοὶ Διὸς ἄρ' ἀπατὰ παρά σοι, Διομήδη,

quem versum O. Immisch (Mus. Rhen. XLVI p. 488) ex inscriptione parietis Pompeianae optime sanavit; nam in appendice legimus laeso metro:

Ἤδη μοὶ Διὸς ἄρα πηγὴ παρά σοι, Διομήδη.

Etiam apud poetas Latinos talia artificia versuum leguntur, ut apud Optatianum Porfyrium florentem temporibus Constantini Magni; ille poeta in praestigiis versuum adhibendis omnes ceteros longe anteit. Vide carmen XXVIII editionis, quam curavit Lucianus Mueller:

---

[1]) Unde illud nomen fluxerit, constituere non potui.

„Blanditias fera Mors Veneris persensit amando
Permisit solitae nec Styga tristitiae.
Tristitiae Styga nec solitae permisit amando
Persensit Veneris Mors fera blanditias",

et cetera; vel carmen XIII, quod metro ex penthemimeri iambica et anacreonteo mixto componitur:

„Prınceps beate, placido sub axa iamnunc
Iustis serene populis favente mundo"

qui versus recurrunt sic:

„Iamnunc sub axe placido, beate princeps
Mundo favente populis serene iustis."

Alia exempla ex grammaticis Latinis collata addidit Luc. Mueller editioni suae p. 31 sq. Sane tales lusus poetici sunt vetusti. Admonetur a Muellero de illis versibus nomini Simonidis addictis[1]):

Μοῦσά μοι Ἀλκμήνης καλλισφύρου υἱὸν ἄειδε.
υἱὸν Ἀλκμήνης ἄειδε Μοῦσά μοι καλλισφύρου

quibus versibus Timocreon rescripisse dicitur ita:

Κηΐα με προσῆλθε φλυαρία οὐκ ἐθέλοντα.
οὐκ ἐθέλοντά με προσῆλθε Κηΐα φλυαρία;

qui versus continentur fragmento VII Timocreonis in anthologia lyrica.

Versuum autem reciprocorum Marius Victorinus (G. L. VI p. 113, Keil) tria genera enumerat: „Qui est retrorsum dum leguntur, longe aliud metrum ex se procreant; est item aliud genus, quod in eandem mensuram revertitur; est etiam aliud reciproci genus, quod non per singulos versus redit, sed per totum elegum." Ultimum genus apparet, ut exemplum afferam, in illo carmine XXVIII Optatiani Porfyrii supra allato. Secundi autem generis est is prologus, de quo egi. Exemplum primi generis offert Quintilianus IX, 4, 90 ubi dicit: „Plerique enim ex commissuris eorum vel divisione fiunt pedes: Quo fit ut isdem verbis

[1]) Hiller-Crusius, anthol. lyrica, frg. 165 Simonidis.

alii fiant, ut memini, quendam non ignobilem poetam talem exarasse:

astra tenet caelum, mare classes, area messem;

hic retrorsum fit sotadeus; itemque e sotadeo exit retro trimetros:

„Caput exseruit mobile prinus repetita."

Alia exempla affert Diomedes (G. L. I, p. 516); sed longum est omnia enumerare.

Quibus exemplis lusus poetici inserendi est hic prologus, qui temporibus Ptolemaicis ortus est. Ergo in his quoque artificiis Romani poetae imitantur poetas Graecos. Intenderunt autem rem Romani poetae odio incomptae orationis percensi; postea quo magis litterae senescebant, eo magis florebat talium nugarum studium, quod auctoribus novae facetiae inveniendae erant ad lectorum vincendum fastidium.

Vita.

Natus sum, Guilelmus Michel, in oppido Hassiaco Babenhausen die duodevicesimo mensis Februarii anno MDCCCLXXXIV, patre Guilelmo, qui mihi immatura morte ereptus est, matre Rosalia, e gente Haas. Fidei addictus sum evangelicae. Litterarum elementis in ludo triviali patrii oppidi instructus gymnasium Darmstadtiense frequentavi. Autumno anni MCMII maturitatis testimonium adeptus in universitatem Lausannensem me contuli, ubi studiis philologicis per bis senos menses incubui. Deinde postquam stipendia per unum annum feci, civitati academicae Berolinensi ascriptus sum. Inde post sex menses profectus universitatem Heidelbergensem adii, unde semestri post Gissas me contuli, ubi quinquies senos menses versabar. Proseminarii philologici sodalis fui Berolinae, Heidelbergiae, Gissae, deinde, Gissensis seminarii exercitationibus per tria semestria interfui. Docuerunt me viri doctissimi: Diels, Hirschfeld, Vahlen, de Wilamowitz, Berolinenses; Dieterich †, de Domaszewsky, Schoell, Windelband, Heidelbergenses; Bethe, Groos, Haller, Immisch, Koerte, H. Oncken, Sauer, Siebeck, M. L. Strack, Wuensch, Gissenses. Quibus viris doctissimis gratias ago quam maximas, in primis autem Alfredo Koerte, cuius consilio in hac dissertatione elaboranda semper benignissime adiutus sum.